# DISPUTATIO THEOLOGICA SOLENNIS

*DE*

# Origine & Progressu Arianismi,

*Quam*

*PRÆSIDE*

JOHANNE MEISNERO,

SS. Theol. D. Prof. Publ. & h. t. Academiæ

RECTORE,

PRO LICENTIA

Summos in Theologia honores capessendi

*Publicè habebit*

M. CHRISTIANUS VVEBERUS

Mutinensis, templi in Incluta Vratisl. Rep. Primarii Diaconus vocatus.

*In auditorio majori ad d. XIII. Jan.*

horis ante & pomeridianis

*WITTEBERGÆ*

TYPIS MICHAELIS WENDT, ANNO M. DC. LIII.

I.

QUanquam inde ab initio & ipsis Ecclesiæ incunabulis multæ semper hæreses exortæ sint, quæ mysteria religionis Christianæ variè impugnarunt, nulla tamen atrocior & pestilentior extitit, quæq; plus aut diutiùs Ecclesiam DEI turbarit, aut majori animorum contentione fuerit agitata, quàm Ariana. Cùm enim cæteræ unum tantùm doctrinæ Christianæ caput, idq; sæpè non magni momenti, impeterent, & paucos admodùm asseclas, nec nisi in uno aut altero mundi angulo, reperirent, & mox rursus ad orcum, unde caput suum extulerant, unà cum auctoribus suis reverterentur; hæc ipsum fundamentum & arcem totius Christianæ ac Catholicæ fidei, unde pendet salus nostra, arietavit, nec unam tantùm provinciam aut gentem unam, sed totum terrarum orbem, quàquà patet, pluribusq; seculis illuvie sua, velut torrens quidam, inundavit. Nam *ab Ecclesiâ Alexandrinâ tanquam à summo capite exorsa omnem Ægyptum, Libyam & Thebaida deinceps pervagravit. Jam verò per reliquas provincias & civitates eò usquè diffudit sese, uti non modò Ecclesiarum præsides verborum contumeliis se mutuò concidere, sed etiam reliquorum hominum multitudinem ( dum hi in istorum, illi in aliorum sententiam inclinarent ) cernere licuisset. Eò porrò turpitudinis rerum gestarum spectaculum prolabebatur, ut jam in mediis infidelium theatris sacrosancta divina nostra doctrina instituta turpissimi ludibrii notam subirent*, ut Euseb. lib. II. de vitâ Constant. M. cap LX. testatur. Et Hieron. *totum orbem ingemuisse* ait, *& miratum esse, se tàm subitò factum Arianum*, Dial. adv. Lucifer.

II. Non tantùm autem spatiis regionũ ac hominũ longè lateq; per Orientem & Occidentem diffusa est, sed in varias quoque sectas factionesq; progressu temporis divisa, quas Eunomianorum, Eudoxianorum, Aetianorum, Eusebianorum, Acatianorum, Macedonianorum, Psatyrianorum, Cyrtianorum, Dulianorum, Dorotheanorum, ab auctoribus & præcipuis dogmatibus ita appellaverunt, quæ etsi idem planè & omni ex parte cum Ario

non ſentirent,& ſæpè adverſis frontibus inter ſe, & longè acriùs quidem quàm cum orthodoxis, concurrerent, magnam tamen cognationem & affinitatem invicem habebant, omnes certè ex infelici radice Arianâ, velut prava quædam ſoboles, pullularunt.

III. Quò periculoſior autem hæreſis erat latiusq; graſſabatur, eò alacrius quoque Eccleſiæ tàm Græcæ quàm Latinæ Doctores & fidei Chriſtianæ antiſtites ac ὑπερμαχοι pro veritate cœleſti contra iſta hominum portenta depugnarunt, inter quos duo illa Eccleſiæ Alexandrinæ, imò totius orbis, lumina, Alexander & Athanaſius glaciem omnibus quaſi ſecarunt: præcipuus tamen Athanaſij in hoc certamine labor & zelus eximius fuit, de quo verè Photius ſcripſit, Gregorium Theologum & Baſilium, qui poſt ipſum hæreſin Arianam ſcriptis impugnarunt, ingenia ſua & lucubrationes ex illius fontibus irrigaſſe. Hos certatim ſecuti & alij ſunt, qui impiam blaſphemiam ſtylo ac voce confoderunt, Hilarius, Baſilius, Gregor. Nazianz. Epiphan. Ambroſ. Hieron. Auguſtin. Cyrillus Alexandrinus, ut cæteros nunc taceam, quorum ſcripta injuriâ temporum vel prorſus perierunt, vel fragmenta ſaltem ab alijs conſervata ad noſtram ætatem ſuper ſunt.

IV. Decertatum autem eſt utrinque acriter, ſed vario eventu, & victoriâ modò in hanc, modò illam partem inclinante. Quanquam enim Orthodoxi cauſſæ bonitate ſemper prævalerent, quòd Scripturis divinis & veritate à CHRISTO & Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus per totum terrarum orbem prædicatâ niterentur; Ariani contra eâ in parte prorſus ſuccumberent, nec Apoſtolos aut eorum diſcipulos, ſed manifeſtarios & ipſis Apoſtolis damnatos hæreticos, præcipuasq; fidei Chriſtianæ naſcentis vomicas auctores haberent, hi tamen partim fraude, partim vi & favore Imperatorum, quos in ſuam ſententiam pellexerant, ſæpè ſuperiores evaſerunt, & cum factione pollerent, paullatim ad majora audenda progreſſi, Rempubl. occuparunt. Tùm verò vidiſſes eos depoſitis epiſcopis orthodoxis novos crea-

re & in eorum locum substituere, populum suffragiis privare, dignitates clarissimis è suo ordine mandare, Synodos cogere, & quod insolentissimæ insaniæ erat, Homousianos (ita enim orthodoxos appellabant) anathemate ferire, cæteris aut fugatis, aut ad subscriptionem vi metuque inductis, tàm crudelibus præterea suppliciis adversus obvios quosque grassari, ut similia iis nec facinorosi unquam pertulerint, nec ethnici Christianis irrogarint. Qua de re Athanasium audiamus, in Epist. ad vitam solitariam agentes: *Coactâ multitudine*, inquit, *ex bubulcis, opilionibus, & forensi vulgo, unà cum protervis juvenibus, cum gladiis & fustibus Ecclesiam, quæ dicebatur Quirini invadunt, alios mactant, alios pedibus obterunt, plerosque concisos partim in carcerem, partim in exilium conjiciunt, multasque feminas miseris modis captatas, publicè ad tribunalia crinibus trahunt, tractasque contumeliis indignissimè afficiunt, aliorum bona fisco addicunt, aliorum alimenta intervertunt, nulla alia de causa, quàm ut eos ad partes Arianorum, & Gregorium recipiendum, quem Imperator miserat, compellerent.* Et mox in eadem Epistola: *Extranei qui ista spectabant, in quo numero etiam ethnici erant, Arianos ut Antichristos & Carnifices execrabantur: est enim genus humanum amans pauperum, & pronum ad misericordiam, sed Eusebiani humanam mentem exuerant.* Idem in Apol. ad Constantium Imper. in eandem fraudem ab Arianis seductum: *Virgines nuper præstantes viri Ariani, nostri scilicet calumniatores, insidiatoresque usi ad hoc & Episcoporum opera & ministerio judicum, detractis vestibus denudarunt, & ab hermetariis suspenderunt, lateribus earum ita jam tertiò laceratis, ut nunquam quicquam tale ne facinorosissimi quidem homines sint passi. Pilatus enim, qui inserviebat per id temporis Judæis, lancea unum latus Salvatoris perfodit, isti autem rabie suâ Pilatum vicerunt, cùm non unum latus Christi, sed utrumque lacerarint, - - & quod teterrimum est, si quando male audirent, & convitiis ob tantam crudelitatem pulsarentur, pro erubescentia, quâ tingi debuerant, caussificabantur sese id tuo jussu & imperio perpetrasse: tanta illis audacia est & improbitas ad omne facinus. Nihil certè in persecutionibus tale quid gestum esse audimus, quod si tale quid gestum re-*

 *periatur,*

*periatur, non decuit tamen sub te Christiano principe virginitatem istiusmodi contumeliis exagitari, aut tantam crudelitatem tuæ majestati imponi & ascribi.* Plura talia iisque prorsus gemina in Epistolâ Synodicâ ab Episcopis, qui Sardicæ convenerant, ad universos orbis Episcopos perscripta, apud Theodor. lib. II. cap. VIII. itemque lib. IV. cap. XIX. & XX. Sozom. lib. VI. cap. XIV. atque alibi passim leguntur.

V. Postillà verò ad Concilia res delata, & â Constantino M. qui rerum isto tempore potiebatur, Niceæ urbe Bithyniæ Synodus coacta est. Convenerunt autem ex toto orbe Episcopi CCCXVIII. plerique eximiâ pietate & rerum theologicarum scientiâ præclarè instructi, nonnulli etiam martyres & confessores, superioribus Diocletiani, Maximini & Licinii persecutionibus immania tormenta passi, quorum in corporibus decoræ & illustres ἀριστεῖαι adhuc ostendebantur: Alii enim altero oculo, alii nervis poplitis multati, alii denique aliter excruciati erant. Hi omnes unâ voce ac sententiâ (paucis solummodò exceptis, qui ad Arium defecerunt) damnato impio dogmate præclaram illam fidei confessionem, quæ adhuc hodiè Symboli universalis instar apud omnes ubique Christianos obtinet, condiderunt: cùm interim Ariani, ope purpuratorum adjuti, Synodum Synodo opponerent, & contrarium decernerent.

VI. Cæterùm cùm ad doctrinam de Salvatore nostro JESU Christo, & admirabili illâ duarum naturarum in unam personam unione, cujus memoriam hoc tempore celebramus, rectè intelligendam & explicandam, veræque religionis antiquitatem juxta ac dignitatem demonstrandam multùm conferat, si sciatur quid antiqua, tàm Græca quàm Latina, Ecclesia de ea senserit, qui antiquorum certaminum ortus, progressus & exitus, pro qua fide Martyres & Confessores tot seculis decertarint, quibusque opibus ac consiliis aut conservata aut impugnata ea fuerit, haud abs re factûri videmur si denuò in investigandâ Historiâ Ecclesiasticâ nonnihil operæ ponamus, atque adeò in acta eventusque & res gestas, variis locis & temporibus, itemque dogmata & sententias

tias Arianorum paulò diligentiùs inquiramus. Quæ res ut benè a feliciter vertat, Deum Opt. Max. unum essentiâ ac trinum personis supplices quæsumus & veneramur.

## CAP. I.

# DE ORIGINE ARIANISMI.

VII. Arius igitur, homo perfrictæ frontis & audaciæ magnæ, post seculi tertii initium ex Libya, ut Epiphan. hær LXIX. tradit, monstrorum satis aliàs ferace, prodijt, & Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ Baucalis dicebatur, Presbyter factus, hinc odio & invidiâ, illinc æmulatione exstimulatus in deterrimam perfidiam prolapsus est, ut veram Christi divinitatem inficiaretur, & creatam aliquam ei substitueret. Unde ejus notissima vox erat, Filium Dei *ἐξ οὐκ ὄντων ex nihilo creatum esse*, & *ἦν ποτέ ὅτε οὐκ ἦν, tempus fuisse, quando non erat.* Non primus tamen ille, nec solus fuit, qui Christum nudum hominem assereret, sed ante ipsum plures alii vel eadem prorsus, vel iis admodùm affinia docuerunt. Etsi enim Alexander has ejus assertiones inter *δυσάκουστα* referat, & nec visas nec auditas prioribus annis dicat: *Quis unquam talia audivit? aut quis est, qui si jam audiret, non ea tanquam insolita & peregrina, obstupesceret, auresque obduraret, ne ejusmodi verborum sordes in audiendi sensum illaberentur?* ait in Epistola ad cæteros, qui ubique gentium sunt, Episcopos apud Socrat. lib. I. Hist. capit. III. id tamen ideò factum est, quod Ebionis, Cerinthi, Artemonis, Samosateni hæresin resuscitaret, & magnâ præterea accessione locupletaret.

VIII. Cæterùm qui & quales illi fuerint, qui id anteà docuerunt, pluribus hic commemorandi locus non est, primi tamen & diu quidem ante Arium, ipso adhuc B. Johanne Evangelistâ superstite, Cerinthus & Ebion proruperunt, qui Jesum nudum hominem fuisse, nec, antequam ex Maria nasceretur, extitisse, nec ex virgine, sed Josepho & Maria, ut cæteri homines solent, natum esse blasphemabant, tantùm justitiâ & sapientiâ aliis præstitisse,

tisse. Et Cerinthus quidem, ut Irenæus Scriptorum, qui veteres hæreses enarrarunt, antiquissimus lib I. adv. hær. cap XXV. commemorat, *Jesum subjecit non ex virgine natum (impossibile enim hoc ei est visum) fuisse autem eum Joseph & Mariæ Filium, similiter ut reliqui omnes homines, & plus potuisse justitiâ & prudentiâ & sapientiâ præ omnibus, & post baptismum descendisse in eum Christum, ab eâ principalitate quæ est super omnia, figurâ columbæ, & tunc annunciasse incognitum patrem & virtutes perfecisse, in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse ac resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverasse existentem spiritualem.* De Ebione verò Theodor. lib. I I. hæretic. fab. ista scribit: *Hic Dominum Jesum Christum ex Josepho & Maria dicebat natum, hominem quidem, sed aliis virtute & innocentiâ excellentiorem.* Sed & eadem prorsus & iisdem ferè verbis de utroque Tertull. lib. de præscript. adv. hær. cap. XLVIII. Epiphan. hær. XXIX. & XXX. Augustin. de hær. ad Quodvultdeum hær. VIII. tradunt.

IX. Non longè autem pòst & altero Ecclesiæ seculo ex tenebris emerserunt Artemo, & pessimi præceptoris haud deneger discipulus Theodotus Byzantius coriarius, quem Theodotionem Augustin. hær. XXXIII. vocat, sed perperam: nam Theodotion Ephesus natione fuit, ac primò quidem Tatiani, pòst Marcionis discipulus, tandem ad Judæos, ubi Scripturam ex Ebræo in Græcum, satis malignè tamen, vertit, prorsus defecit, unde & ab Hieron. in cap. III. Habac. semi-Christianus vocatur. Alius igitur est Theodotus Byzantius, de quo nunc loquimur. Eundem quoque Eusebius, seu apud illum potiùs ἀνώνυμος scriptor Artemoni ipsi præponit, & ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας vocat lib. V. Hist. cap. XXVII. fortè quod obstinatiùs Artemone ipso, præceptore suo, divinitatem Christi oppugnaret.

X De Artemone igitur Theodoret. ita differit: *Artemo quidem, quem nonnulli Arteman vocant, de DEO conditore universi idem nobiscum sensit, dicens eum omnium creatorem esse: Dominum verò Jesum Christum nudum hominem dixit ex virgine natum, Pro-*

*phetis*

*phetis autem virtute præstantiorem. Et hæc etiam Apostolos prædicasse, pravè divinarum Scripturarum sensum interpretatus, ajebat, eos autem qui apostolis successissent, Christum DEum dixisse, cùm DEus tamen non esset.* Athanas. quoque de Synod. Arimin. & Seleuc. hunc *ante Concilium Nicenum hæreseos istius fundamenta jecisse* ait. De Theodoto verò Augustin. ad Quodvultdeum hær. XXXIII. *Theodotiani à Theodotione* (rectiùs Theodoto) *quodam instituti, hominem tantummodò Christum asseverant.* Ubi simul occasionem commemorat, ideò factum scilicet, quòd, cùm in persecutione CHRISTUM abnegasset, præ pudore ex Patria Romam præfugerit, cumq; ibi etiam agnosceretur, & θεαρνησία illa ei exprobraretur, responderit, non DEum, sed hominem se negasse. Idem Epiphanius, sed adhuc pleniùs exponit hæresi LIV. *Theodotus*, inquit, *Byzantio oriundus, quæ hodie Constantinopolis dicitur, arte coriarius erat, homo apprimè literis eruditus. Qui cum aliis plerisque ineunte persecutione comprehensus: (quænam verò ea persecutio fuerit, nondum comperi,) sed tum ab urbis præfecto cum pluribus correptus, cum de omnibus quæstio ob Christi nomen haberetur, cæteri quidem DEI famuli reportatâ victoriâ cœleste præmium consecuti sunt, martyrio pro Christo perfuncti. At ille Christum negans, & à scopo veritatis excidens transgressor est factus. Quæ ex re cum probro omnium appetitus, pudorem sustinere non posset, relictâ patriâ profugus Romam contendit, & illic habitavit. Sed & Romæ à quodam agnitus in eandem ignominiam incidit, cum qui illum ob insignem eruditionem nossent, ob id eum incusarent, quod homo excellenti doctrinâ præditus à veritate excidisset. Quare ad sui excusationem vanum dogma commentus est, atque ita jactare cœpit: Ego, inquit, non DEum negavi, sed hominem. Interrogatus, quem demum hominem? Christum, inquit, hominem negavi. Hinc prædicandæ falsæ hujus opinionis occasionem accepit, ut & Theodotiani, quorum ille auctor extitit.*

XI. Tantâ autem insaniâ & impudentiâ erant, ut nullam aliam, nisi antiquam & Christo ac Apostolis approbatam sententiam se tueri, omnesq; alios Doctores, etiam victorem PP. usque ad Zephyrinum secum conspirasse dicerent. Ita enim anonymus



mus

mus scriptor, cujus supra mentionem fecimus, apud Euseb. cap. xxvii. verba eorum refert: *Ajunt isti omnes majores nostros, & ipsos Apostolos, ea quæ ipsi jam affirmant, non modò à Domino accepisse, verum etiam alios eadem docuisse, & veram prædicationis rationem usque ad Victoris tempora, qui decimus tertius à Petro Romæ episcopus fuit, integrè servatam illam quidem, sed à Zephyrino illius successore penitùs corruptam & depravatam fuisse.* Hæc illi, cùm tamen nihil certiùs sit, quàm eos novam & antiquitati incognitam, imò disertè improbatam opinionem fovisse, orthodoxos autem vetustissimorum patrum vestigijs inhæsisse, unde rectè idem Eusebius subjicit, eos & Scripturæ sacræ auctoritate, & multorum Ecclesiæ Doctorum ac martyrum testimonijs, utpote Justini Martyris, Irenæi, Miltiadis, Tatiani, Clementis aliorumq; apertè revinci, ac denique hunc Theodotum à Victore excommunicatum esse. *Quomodo non illos pudet*, inquit, *hæc Victori tàm falsò objectare? Præsertim cum exploratè cognitum habeant, Victorem, Theodotum illum coriarium (qui primus Christum solum hominem dicebat) ducem & quasi parentem hujus impiæ & execrandæ à fide defectionis, Christum Deum pernegantis, Christianâ communione interdixisse? Quod si Victor eadem cum illis sentire visus fuisset, (sicuti detestabilis illorum docet calumnia) quo pacto aut qua ratione adductus, Theodotum hujus erroris inventorem, ab Ecclesiâ ejicere in animum induxit?*

xii. Artemonem & Theodotum subsecutus est Beryllus, Bostrorum Arabiæ Episcopus, celebris alioquin & eruditus scriptor, cujus lucubrationes & opera complura suo, hoc est, Eusebij tempore in Bibliothecâ Hierosolymitanâ asservata fuisse, atque inde se ad historiam suam condendam multa deprompsisse ipse Eusebius testis est lib. vi. Histor. cap. xiv. Quomodo is in eandem hæresin inciderit, sed paullò pòst operâ & studio Origenis ad saniorem mentem revocatus, quæ prius docuerat, recantarit, ex ipso illo Eusebio cap. xxvi. audiamus. *Hic*, inquit ille, *quò Ecclesiasticæ veritatis regulam perverteret, peregrinam quandam & alienam à fide doctrinam in Ecclesiam introducere tentavit: ausus quidem temerè asserere, Servatorem & Dominum nostrum Jesum Christum*

*stum*

*stam propriâ substantiæ circumscriptione non ante fuisse, quã in humanam carnem immigraret, neque propriam habuisse ex se divinitatem, sed solam patris in eo extitisse. Quâ de re cum multi Episcopi in disceptationem cum eo venissent, aeq; ejus errore graviter disseruissent, inter cæteros Origenes à quibusdam rogatus, primùm cum eo in familiarem sermonem & colloquium descendit, quasi periculum facturus, quid animi haberet, quidve sententiæ. Ubi verò eum suam perversam opinionem constanter affirmare intellexit, utpote haud rectè de Christo sentientem confutavit: atque cùm firmis rationibus persvadendo, tùm certâ demonstratione convincendo, eum ad verè de eâ controversiâ sentiendum reduxit, atque adeò ad pristinam ac sanam de Christo & ejus divinitate opinionem, quam olim tenuisset, denuò restituit.*

XIII. Impiæ huic hæreticorum manui meritò quoque adjungi potest Paullus Samosatensis, Antiochiæ Episcopus, qui Artemonis & Theodoti hæresin resuscitans denuò divinitatem filij DEI oppugnavit. Statuit autem *filium DEI non fuisse ante mundi constitutionem*; item, *Credere & confiteri esse Deum, non esse aliud, quàm duos Deos prædicare*, ut ex confessione patrum Antiochenorum colligitur, quam Franc. Turrianus, nescio unde acceptam, vertit quidem, sed Baronius primus, quod ego sciam, edidit, unde adhuc hodie T. II. Annal. ad ann. CCLXVI. n 4. & T. I. Concil. Binij, & apud D. Dorscheum Collat. ad Syn. Sirmiensem p. 176. legitur, quæ tamen apud veteres Scriptores vix reperietur, nisi quod Athan. lib. de Syn. Arim. & Seleuc. eam à Nicenâ formulâ in eo discrepare dicat, quod hæc vocem ὁμοούσιος adhibuerit, illa verò certis de causis omiserit: *Utraque Synodus*, inquit, *justam habet & rationalem causam, cur illa ad illum, ista verò ad istum modum verba sua temperaverit. Quandoquidem enim & Samosatensis sentiebat, filium ante Mariam non fuisse, sed ab eâ initium suæ essentiæ accepisse, ideò Episcopi tunc congregati hominem hæreseos condemnatum abdicarunt, & de filij divinitate simplicius scribentes, non exquisitam diligentiam in tractatu hujus vocis τοῦ ὁμοουσίου adhibuerunt, sed ut acceperant περὶ τοῦ ὁμοουσίου, ita locuti sunt: in eo enim omnem curam habebant, ut quod Samosatensis excogitarat, tollerent, & docerent, ante o-*

*te omnia filium fuisse, eumq; non ex homine DEUM esse factum, sed cum DEus esset, induisse speciem, cum verbum esset carnem esse factum.* idem Paullus filium DEI non verbum patris substantiale, sed tantùm προφορικὸν, & Christum naturâ nihil nisi communem hominem esse docebat, ut ex Philastrio Brixiensi discitur, qui hær. LXV. de eo ita scribit: *Hic verbum DEI i. e. Christum, DEUM & DEI filium, substantivum ac personalem & sempiternum esse cum Patre denegabat, prolativum autem, id est, quasi aerem quendam dicebat, non tamen personam vivam Filij sempiternam cum sempiterno Patre credendam esse docebat. Hic Christum hominem justum, non DEum verum prædicabat, Judaizans potiùs, qui & circumcisionem docebat: unde & Zenobiam quandam, reginam in Oriente tum temporis ipse docuit Judaizare.* Et Augustin. hær. XLIV. *Paulliani*, inquit, *à Paullo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverant, nec eum aliquid amplius quàm hominem putant. Ista hæresis aliquando cujusdam Artemonis fuit, sed cum defecisset, instaurata est à Paullo & posteà sic à Photino confirmata, ut Photiniani, quàm Paulliani celebrius nuncupentur.*

XIV. Atque hi sunt celebriores hæresiarchæ, qui Ario viam præiverunt, pariaq; cum ipso docuerunt, quos Alexander in Epistola ad Constantinopol. Episcopum gentilem suum apud Theodor. l. I. Hist. cap IV. breviter complexus est his verbis: *Non ignoratis tum Ebionis & Artemæ doctrinam, quæ non ita pridem veram Ecclesiæ pietatem oppugnare cepit: tum pestiferum studium Paulli Samosateni episcopi Antiochiæ, qui consilio omnium ubique episcoporum, atque adeò judicio Ecclesiæ ejectus est. Cujus perversæ doctrinæ Lucianus successor factus, multorum annorum spatio, hoc est, tantisper dum tres episcopi, alius post alium, Ecclesiam illam rexere, exclusus ab Ecclesia mansit. Istorum hæreticorum impietatis feces, hi qui modò in lucem editi, filium Dei ex nihilo ortum asserunt, quiq; sunt velut stolones occulti ex illis nascentes, animis hauserunt: Arium dico, Achillam, & reliquam improborum illis adhærentium turbam.* Tantum igitur abest istâ ætate hanc blasphemiam exortam, aut ab A-

ab Ario primùm excogitatam esse, ut is plures eâ in re magistros ac πρόμαχυς habuerit, imò ex Cerinthi, Ebionis aliorumque hæreticorum lacunis pleraque sua hausisse haud abs re videri queat.

xv. Sicut autem primus non fuit, qui fœtum istum infelicissimis auspiciis diasin luminis auras edidit, ita nec solus eum sine collegis & sociis formavit & ad tantum fastigium, quod anteâ nunquam factum fuerat, provexit, sed pluresalios complices & ὑπερασπιστὰς facilè invenit, qui partim clanculum, partim apertè ei favebant: nam in solâ Alexandrinâ parœciâ sex presbyteri eandem sententiam amplectebantur, Arius, Atthalas, Achillas, Carponas, Sarmatas & alter Arius, & totidem Diaconi, Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius & Gajus, qui, ut in talibus motibus fieri plerumque solet, maximam plebis partim suâ hæresi dementarunt: *nonnulli enim ita de Deo sentiendum arbitrati sunt, alij, quod quidem vulgò evenire solet, eos tanquam affectos injuria & indictâ causâ Ecclesiâ ejectos commiserati*, ut Sozom. lib. I. cap.. xiv & Nicephor. lib. IIX. cap. v. tradunt. Epiphanius autem initiò presbyteros septem, Diaconos duodecim, Episcopum unum, Secundum Pentapolitanum, & virgines septingentas ei adhæsisse docet. His posteâ alii quoque Episcopi, Theognis Nicææ, Maris Calchedonis, Theonas Marmaricæ in Africa, Secundus Prolemaidis, aliiq; ut ex Socrate ac Sozomeno constat, se associare ceperunt, qui tùm voce, tùm scriptis Arii caussam tàm strenuè egerunt, ut non socii tantùm aut πρόμαχοι, sed ipsissimi Schismatis auctores haberi haud injuriâ fortè possint.

xvi. Inter cæteros verò Eusebii ambo, alter Nicomediæ, Cæsareæ alter episcopus, antequam res in concilio Niceno definita esset, impensè Ario favebant, & ut erant ad quidvis audendum prompti, ita nihil omiserunt ejus, quod ad stabiliendam hæresin ullo modo facere poterat. Hi consilia cum Ario communicare, colloquia & congressus instituere, Synodos convocare, primi omnium denique partium studio eò usque provecti calamum adversus Athanasium stringere ausi sunt: *Scripsere*

*prius Eusebius cum suis contra Athanasium*, ait Julius Episcopus Roman. in Epist. ad Arianos apud Athanas. in Apol. Unde & προστάτας antesignanos infelicis Arianorum hæreseos à Synodo Sardicensi appellatos idem Athanasius ibidem auctor est. Maximè omnium tamen Nicomediensis propter favorem aulicum *plurimùm poterat, quòd tunc Nicomediæ, ubi Diocletianus paullo ante palatium ædificaverat, imperator versabatur. Ob quam caussam multi Episcopi Eusebii paruère sententiæ*, ait Socrat. lib. 1. Hist. suæ cap. III. qui & paullò ante præmiserat: *Quanquam multi alij perversa Arij opinione & errore implicati tenebantur, Eusebius tamen (non Cæsariensis ille, sed alter, qui anteà fuerat Ecclesiæ Berytiensis episcopus, id temporis autem ad episcopatum Nicomediæ, urbis Bithyniæ callidè arrepserat) illi cumprimis mordicus adhæsit.* Quinimò egregius hic Arii patronus unà cum asseclis in ipso Concilio in medium prosiluit & exhibitâ peculiari fidei formulâ ac confessione quid seorsim à reliquis orthodoxis omnibus sentiret exposuit, *quæ ut primùm perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam & commentitiam esse vociferabantur, illicò discerpta est*, ut Theodoretus lib. I cap. VII Hist. testatur. Quibus rebus factum est, ut ferè celebrius esset Eusebianorum nomen quàm Arii, sicut perlegenti Athanasii disputationes manifestum est.

XVII. Cæsariensis vero quanquam & ipse unà cum cognomine Nicomediensi Arium omni studio & favore complecteretur, & in Synodo Nicenâ decreto fidei contra Arium subscribere initiò detrectaret, mox tamen, seu re accuratiùs perpensâ, seu metu exilii mutatâ sententiâ recantavit, seq; orthodoxorum coetui approbata concilii confessione, adjunxit. Ita enim Sozom. lib. I. cap. XX. *Eusebius, cognomento Pamphilus, primò paullulùm hæsitavit, posteà tamen, cùm formulam accuratiùs expendisset, eam suâ quoque approbavit sententiâ.* Idem cæteros quoque Arianos factitasse, & inscios suo ipsorum gladio se jugulasse Athanasius auctor est, cùm lib. de Syn. Nicen. decretis ita scribit: *Episcopi sublatis Eusebianorum vocabulis istam formulam sanæ fidei conceperunt, omnibusq; subscribentibus subscripserunt & ipsi Eusebiani iis verbis, quæ nunc cul-*

*culpant. Loquor autem de vocabulis substantia & consubstantialitate, approbantes Dei filium nullo modo facturam aut creaturam esse, sed fœtum verbumque ex patris substantia.* Quæ omnia Sozomenus quoque loco supra adducto confirmat, & Eusebium Nicomediæ Episcopum, Theognidem Nicææ, Marin Chalcedonis, Patrophilum Scythopolis (cui Socrat. lib. 1. cap v. Theonam Marmaricæ substituit) & Secundum Ptolemaidis fidei formulam approbasse præfatus, è vestigio subijcit: *Est porrò intelligendum, Eusebium Episcopum Nicomediæ, & Theognidem Nicææ, quamvis fidei formulæ consentirent, minimè tamen Arij approbasse abdicationem, neque ei subscripsisse.* Et hoc ipsi illi impostores, Eusebius & Theognis, concilio ob id ejecti, composito & ad patres Nicenos misso peculiari libello, qui apud Socrat. lib. 1. Hist. cap. x. exstat, ultrò fatentur, cùm inter cætera argumenta, quibus impietatem suam incrustare conantur, hæc quoqve afferunt: *Vobis significavimus, nos fidei decisioni consensisse, atque vi & notione verbi consubstantialis diligenter ponderata pacinos totos addixisse, atque nullum errorem secutos esse, sed tùm quò Ecclesiarum securitati proinde consuleretur, quæ in nostram cogitationem venerant, vobis suggessisse, tùm quò illos qui nostro concilio & sententia acquiescere deberent, certâ persuasione confirmaremus, fidei subscripsisse. Anathemate autem Ario a concilio denunciato, non ob eam caussam non subscripsisse, quòd fidem illam incusaremus, sed quod minime crederemus, eum, qui erat accusatus, hominem ejus generis fuisse, præsertim cum ex illis, quæ privatim ad nos ab eo tum per epistolas relata erant, tùm per ejus sermonem coràm habitum declarata, pro certo essemus persuasi, ipsum longè alium esse.* Tandem subjungit suam ἐπίκρισιν, quâ discrepantia omnis, si quæ apud auctores eâ in parte occurrat, tolli facilè & expediri queat: *Ex cujus libelli verbis conjecturam facio, istos, quanquam fidei in concilio decreta subscribebant, abdicationi Arij suffragari noluisse.* Similiter quoque cæteri auctores intelligendi & explicandi fuerint, cum Arianos nunc subscripsisse, mox nonnihil hæsitasse, aut planè detrectasse subscriptionem asserunt.

XVIII. Quæ verò de Eusebio Cæsariensi dixi, ea totidem ferè verbis Athanasius, ubi supra, & pluribus astruit, ubi admirabundus, & ob rei novitatem præ gaudio quasi exultans exclamat: *Quod majoris admirationis est*, inquit, *Eusebius ex Cæsarea Palestines, cum pridie abnegasset, in eandem sententiam tamen postridie subscripsit, quam etiam Ecclesiæ suæ legendam misit, dicens eam esse Ecclesiæ fidem, & patrum traditionem, omnibusq; manifestò apparuit, eum unà cum gregalibus suis temerè prius errasse, & frustrà contra veritatem pugnasse. Nam tametsi eum puduit scriptis errorem fateri, & ut potuit se Ecclesiæ excusavit, in epistola tamen, in qua Dei filium consubstantialem & ex substantia patris existere non inficiatur, clarè se in errore fuisse demonstrat.* Profectò non admiratione tantùm, sed omni laude dignum & tanquam singulare Dei beneficium meritò censendum est, cum viri eruditi atque illustres sive odio & invidiâ, sive partium studio in sequiores partes abrepti, melioribus tandem consiliis locum concedunt, &, depositis privatis affectibus, odiis & contentionibus, velut membra luxata eò redeunt, unde se temerè proruperunt. Apostoli enim vox est: *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes & non sint inter vos schismata, sitis autem coaptati in eadem mente & in eadem sententia* 1. Cor 1. 10. Et Eph. IV. 2. seqq. *Supportate vos invicem in charitate, solliciti servate unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unâ spe vocationis vestræ* Rursus Rom XV. 5. seqq. *Deus patientiæ & solatii det vobis id ipsum sapere inter vos invicem, secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos, in honorem Dei.* Quæ utinam cogitassent olim, qui reformationem primi nobiscum amplexi sunt, aut hodie adhuc recentium turbarum auctores & patroni secum cogitarent, laudabiliq; majorum Eusebii Cæsariensis, Cyrilli Alexandrini, Johannis Antiocheni aliorumq; exemplo reconciliationi & sarciendæ concordiæ serio tandem operam darent, priusquam tot florentissimæ & orthodoxæ aliàs Ecclesiæ implacibili schismate inter se divulsæ

eò

eò proiaberentur, unde si maximè velint, pedem referre nequeât, & intereà hostes ἄσπονδοι istâ opportunitate usi, nunc hanc, nunc illam partem occuparent. Sed plerumque tanta hominum proh dolor! est sive malitia, sive propriæ gloriolæ amor, ut injuriam privatim fortè sibi illatam vindicare, omniaq; potiùs turbare, quàm vel tantillum bono publico condonare & vulneribus Ecclesiæ latè hiantibus medicinam facere malint. Veruntamen ipsi eâ de re viderint, & Deo Ecclesiæq; hujus facti sui rationem aliquando reddant.

XIX. Epistolam autem ab Eusebio ad Cæsareenses scriptam, cujus Athanasius meminit, ad verbum recitant Socrat. lib. I. cap. V. & Theodorit. lib. I. capit. XII. cujus exordium in hunc modum se habet: *Etsi verisimile est, fratres charissimi, ea quæ de fide ecclesiastica in amplo & frequenti concilio Nicææ coacto tractata sunt, ad vos antehac prolata esse, præsertim cum fama ipsa accuratam rerum gestarum narrationem sua celeritate superare soleat, contra ac se habeat, vobis nuncietur, primùm eam fidei formulam, quæ à nobis concilio proposita est, deinde alteram, quam episcopi, ubi nostris verbis pauca adjecerant, ediderunt, ad vos mittere necesse putavimus. Nostra verò formula, quæ tum coram imperatore nostro sanctissimo perlecta est, tùm rectè se habere pro certò explorata, ad hunc modum se habet: Sicut ab Episcopis, qui nos antegressi sunt, accepimus, sicut cum fidei fundamenta in nostris animis primùm jacta essent, cumq; lavacro baptismatis abluti essemus, audivimus, sicut à divinis scripturis didicimus, & sicut cum fungeremur presbyterio, & cum episcopatum obtineremus, credidimus & docuimus, sic etiam jam credentes, nostram fidem vobis patefacimus, quæ ejusmodi est.* Et mox subjunctâ utraque formulâ tandem concludit: *Ista ad vos fratres charissimi, necessitate coacti misimus, non solùm uti vobis decretum, quod nostram disquisitionem & assensionem secutum est, planum faceremus, verumetiam ut intelligeretis, quòd primò, dùm ea, quæ aliter ab aliis scripta erant, animum nostrum offendere videbantur, in una eademq; sententia (sicut ratio postulabat) ad extremam usq; horam perstitimus.*

XX. Solent quidem Pontificii nonnulli (omnes enim illud

cacoethes nondum pervasit) maximâ animi vehementiâ summaq; opum vi in hunc Eusebium debacchari, & tùm historiæ ejus, quippe novitatibus suis alicubi adversanti, sed omnium superiorum seculorum consensu firmatæ, omnem fidem derogare, tùm ὀρθοδοξίαν in dubium vocare, quod videlicet Arianus Nicenæ fidei quidem subscripserit, mox tamen ad ingenium, velut canis ad vomitum, reversus, Arij fautor & patronus extiterit acerrimus; quà in parte Annalium conditor ubique ferè in vastis illis laboriosis voluminibus suum in Eusebium odium prodit, non aliunde fortè exortum, quàm quod decantatæ tantopere Donationis Constantini, prout ea hodie â Pontificiis pingitur, mentionem nullam faciat. Unde non modò historiam & Chronicon, verumetiam reliqua ejus scripta falsitatis, doli ac simulationis convincere, atque in tàm sublimem locum & fastigium se, suosq; labores collocare nititur, Socrate quoque, Sozomeno, Orosio atque Severo, quorum historiam præteritis ætatibus vix quisquam in dubium vocavit, in eandem cum Eusebio classem conjecto, ut ex ipso solo scilicet rerum ecclesiasticarum historiam deinceps petere liceat. Ita enim præfat. ad annal. eccles. *Ecce Eusebius, ait, qui primas tenere videtur, Arianismo semel malè imbutus, tametsi fidelis in cæteris habeatur, cùm in his, quæ spectant ad dogmata Arianorum, tùm etiam in rebus gestis Constantini Augusti, cujus vitam in gratiam Constantii Augusti, Arianorum patroni, conscripsit, multa mentitus est. -- Claudicat æquè veritas in Socrate sectæ Novatianorum addicto, & Sozomeno eadem tincto fuligine. Coarctatur eadem atque obscuratur interdum nimiâ Orosii atque Severi brevitate.* Idem adhuc disertius ad ann. Christi cccxxv. n. 92. maximè omnium verò ad ann. cccxl. n. 40. & 41. ubi quoque Sixt. Senens. benigniùs de Eusebio sentientem criminatur, eumq; pudere oportere asserit, *dum adversus omnium*, inquit, *antiquorum patrum sententias ipsum Eusebium Catholicum asseverare non dubitat.* Quin paullò ante meruisse dixerat appellari â S. Hieronymo & aliis *Arianæ factionis signiferum, propugnatorem apertissimum, & inter Arianos facilè principem, cujus & memoriam adeò execrata sit Nicena*

Syno-

*dus secunda, ut planè eum jam defendere velle nihil aliud existimandum sit, quàm Ecclesiam Catholicam impugnare.*

XXI. Haud absimiliter Bellarminus, Cardinalis Cardinali accinens, aut suppetias ferens, lib. de Script. ecclesiast. mirum esse ait, *cur aliqui moderni Eusebium hunc tanto ardore defendere velint.* Et iterum lib. I. de Christo cap. IX. *Tertulliani & Eusebii in dogmatibus parvam esse auctoritatem, omnes enim manifestos hæreticos esse.* Idem lib. de Laic. cap. XX. cum ipse sibi objecisset, *Ecclesiam tolerare libros veterum hæreticorum, ut Origenis, Tertulliani, Eusebij, Pelagij,* respondet paullò post; *Ad illud de Origene, Tertulliano, Eusebio, Pelagio dico, eorum libros permitti, quia hæreses illæ sunt extinctæ & libri prosunt propter antiquitatem.* Melchior Canus Gelasii Pontificis contrarias eâ de re sententias conciliat, eumq; in refellendâ historiâ Eusebii magnâ prudentiâ usum esse censet lib XI. Loc. cap. VI. Verba Gelasii PP. cap. Sancta Romana Dist. XV. hæc sunt: *Chronicon Eusebii Cæsariensis atque ejusdem historiæ ecclesiasticæ libros quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & posteà in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum, propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.* Paullò post: *Historia Eusebii Pamphili, apocrypha.* Quæ postrema verba cùm Beatus Rhenanus Gelasii non esse, sed *ab asino quopiam adjecta* dixisset, quod alioquin ipsi sibi non constet, & mendaciis semet arguat, Canus *hoc insolenter, rusticè imperiteq; dictum*, ac Gelasium sibi non contrariari respondet. Ita enim pergit: *Quæ duæ sententiæ cùm contrariæ non sint, tùm sunt etiam verissimæ, & nimis quàm graviter ac severè latæ. Cur autem Gelasius historiam Eusebii apocrypham pronunciarit, caussæ sunt sanè plures atque vehementes.* Quas ille deinceps ordine recenset, ac tandem concludit: *Meritò ergò Gelasius Pontifex historiæ Eusebii Cæsariensis auctoritatem ademit.* Sed Dionysius Petavius tamen palmam omnibus, qui unquam de Eusebio scripserunt, sine dubio præripit. Edidit ille nuper admodùm aliquot Dogmatum Theologic. libros, dici nequit, quot & quàm manifestis calumniis adversus Orthodoxos patres plerosque, i-

ipsum quoque Eusebium, oppletos, certè tantâ copiâ ibi ea se offerunt, ut quæ jam attulimus, cum his contendi nequeant. Nunc enim *merum ac germanum Arianum, ex eorum grege, quos Semiarianos & ὁμοιουσιαστὰς vocant, Semiarianorum principem, veteratorem, infamem & execrandum ab ecclesia Catholicâ habitum* dicit, mox verba ejus *Ariano tincta succo* recenset, nunc *flagitia, blasphemiam, impietatem, prævaricationem turpissimam, cavillationem, κρύψιν* ac fucum ipsi, quanquam immeritò, exprobrat, denique duobus integris capitibus XI. & XII. lib. I. Tom. II. contra eum disputat, & quidem tàm vehementer atque acerbè, tantoq; fastu, ut ex eo Jesuitam facilè agnoscas.

XXII. Non ignoro sanè, aliquot etiam Ecclesiæ veteris Doctores multa satis inclementer in Eusebium dixisse, quos inter Eustathium, Antiochenæ Ecclesiæ episcopum, virum cæteroquin orthodoxum, sed præpostero quodam Zelo impulsum fuisse Socrat. tradit lib. I. cap. XVIII. *Quin etiam Eustathius Antiochiæ Episcopus*, inquiens, *acriter perstringit Eusebium Pamphili, utpote fidem in concilio Niceno roboratam depravantem. Eusebius Pamphili tùm se fidem illam non omninò violare asserit, tùm Eustatium ut Sabellii opinionem inducentem graviter insimulat. Et propterea singuli Episcopi, velut in adversarios, scriptis orationibus graviter invecti sunt. Cùm autem uterque diceret filium Dei cum patre subsistere, & in patre esse, & in tribus personis unum Deum confiteretur, inter ipsos (qua de caussa haud equidem scio) nequaquam consentire, & propterea nullo modo animis acquiescere potuerunt.* Et Sozomen. lib. II. cap. XVII. *Illo tempore episcopi de integro cepere inter se, dum verbum ὁμοούσιον nimis curiosè expendere laborant, magnopere discordare. Nam pars illos, qui hoc verbum approbant, loqui blasphemiam putaverunt, utpote filium essentiæ expertem opinantes, & cum Montano & Sabellio sentientes: pars rursus eos, qui contra sentirent, velut gentiles aversantes, criminati sunt, quod cultum multorum Deorum introducere studebant. In quibus rebus excutiendis Eusebius cognomento Pamphilus, & Eustathius Antiochenus maximè omnium sua ingenia exercuere. Nam etsi uterque filio propriam tribuit essentiam, tamen alter*

alterum

*alterum tanquam diversa sentientem insimulavit. Eustathius quidem accusat Eusebium, uti Concilij Niceni de fide decreta innovantem: respondet autem Eusebius, se ea quidem approbare, sed Eustathium reprehendere, velut Sabellij opinioni deditum.* Equidem tantâ animorum collisione inter se digladiari, &, Ecclesiæ nascentis eorumq; qui Christo nomina sua nondum dederant, scandalo susque deque habito, se mutuò hæreseos arcessere tantos *Doctores* minimè decuit, nec ad eruendam veritatem regia via erat.

XXIII. S. Hieronymus longiùs adhuc provectus, nec minori acerbitate Arii πρόμαχον & apertissimum propugnatorem vocat Epist ad Pammach & Ocean. *Ecclesiasticam*, inquit, *pulchrè Eusebius historiam texuit, sed impietatis Arii apertissimus propugnator est.* Præterea Dial. adv. Lucifer. & in Apologia utraque contra Ruffin. Arianum & Arianorum signiferum ac principem sic vocat, ut perpetuam hanc in eo infamiam fuisse significet. Simile quoque Photii judicium cod. XIII. legitur, qui in Eusebianis Scriptis multas esse contra filium blasphemias ait. Et iterum cod. CXCVI. ὁ περὶ τὴν ἱστορίαν ὢν ἀναξιόπιστος, εἰ καὶ μὴ τὰ δόγματα εὐσεβέος. *Eusebius cujus gravis est historia, non item in dogmatibus fides.* Videatur idem Cod. CXXVII. Cui subjungemus alium adhuc Græculum, Photio quingentis ferè annis recentiorem, sed longè minoris auctoritatis ac fidei, eò majorem tamen laudem hac in parte promeritum, quò modestius de Eusebio judicat. Cùm enim lib. IX. cap. XIII. de ejusdem ὀρθοδοξίᾳ, ex Socratis apologiâ adductis plerisque argumentis, prolixè disputasset, tandem quid ipse sentiret, exponit, & hæc de suo addit: *Hæc & alia Socrates afferens sinceritatem doctrinæ Eusebio ascribere contendit. Ego quidem talem potiùs virum eum fuisse velim: Ecclesia autem Catholica non talem fortasse judicat, quam potiùs sequi par est. An verò ille certò in pietatis sinceritate sit, sicuti iste, qui quidem Novatianus est, dicit, id accuratè certeq; occulta omnia perspicienti Deo relinquendum.*

XXIV. Non minus expressè, imò magis adhuc ex congressibus Doctorum, tùm superstite adhuc Eusebio, tùm post excessum ejus institutis, probari idem potest. Commemorat Euseb. lib. IV. de

Vita Constant. M. cap. XLI. eumq; secutus Socrates lib. II. cap. XX. ipsis tricennalibus Constantini tùm Tyri tum etiam Hierosolymis *ex omni Ægypto, Africa, Asia, Europa, frequentem Episcoporum cœtum convenisse, ut martyrum domum* ( à Constantino Hierosolymis ædificatam) *consecrarent, & in Phœnicia metropoli conceptas rixas delerent*. Tyri igitur jussu Imperatoris coierunt Episcopi, sed plerique Ariani & Meletiani, quorum nomina apud Athanas. in Apol. & Theodorit. lib. I. Hist. cap. XXX. leguntur, ubi tamen non tàm de fide & dogmatibus, quàm de personâ, & intentatis Athanasio criminibus, de fracto calice, mulierculâ compressâ, Arsenio occiso actum fuit. Eò quoque literis Constantini vocatus Athanasius, ægrè quidem, propter inimicos, quos ibi habebat, quàmplurimos, easq; ob hæresin, ut ipse loquitur, sibi suspectos, quadraginta septem Ægypti Episcopis comitatus accessit, seq;, cùm alios judicare deberet, judicio stitit. At S. Potamon id minimè passus, sed in Eusebium Cæsariensem inter judices sedentem, eumq; facilè principem magnâ animi libertate invectus est. Rem ipsam, prout tum gesta est, ex Epiphanio, cum aliunde nihil, vel parùm admodùm constet, audiemus. Sic autem ille hær. LXVIII. *Jubet* (Constantinus Imper.) *convocari Synodum in Phœnice in urbe Tyro. Et jussit judicare caussam hanc Eusebium Cæsareæ Episcopum, & alios quosdam: erant autem hi quodammodo magis inclinati ad Arianorum vanitatem. Et vocati sunt episcopi Ægypti catholici, & sub Athanasio principes quidam viri ac majores, & in Deo illustrem vitam habentes. Inter quos erat beatus Potamon, magnus ille Heracleæ episcopus ac confessor, sed & ex Meletianorum partibus, hi qui Athanasium accusabant. Cum autem Zelotes esset pro veritate ac rectâ fide prædictus beatus Potamon liberum habens os, & qui nunquam personam alicujus suscepit: oculo enim in persecutione propter veritatem orbatus erat, cum vidisset Eusebium sedentem ac judicantem, & Athanasium stantem, superatus tristitiâ & lacrymans ob ea, quæ apud veritatis professores fiunt, invectus est voce magna contra Eusebium, ac dixit: Tu sedes Eusebi, & Athanasius innocens existens à te judicatur, quis tulerit talia? Dic verò mihi tu, Nonne mecum fuisti in carcere, tempore persecutionis?*

*iutionis? Et ego quidem oculum amisi pro veritate, tu verò nihil mutilatum in corpore habere videris, neque testimonium per confessionem præbuisti, sed stetisti vivens, nullâ parte detruncatâ. Quomodo discessisti è carcere, nisi quod promisisti his, qui necessitatem persecutionis nobis intulerunt, id quod nefarium est te facturum esse aut sanè fecisti.* Atque eò fortè Ægypti Episcopi respiciunt, cum in Epistola Synodali apud Athanas. in Apol II. p. 726 & 728. de conventu illo Tyrio agentes, Eusebii apostasiam satis acriter equidem perstringunt, *Cæsarem*, inquiunt, *contra Athanasium irritant*, (Eusebiani,) *& Synodos minantur, postremò Tyri in consilium coierunt. -- Quis ibi conventus episcoporum, aut consessus veri studiosus? Quis non ex plerisq; noster inimicus? Nonne Eusebius Eusebianiq; studio Arianismi ad id concilium perrexerunt, reliquis ejusdem secum sententiæ adductis? Nonne & nos contra eosdem homines eo nomine, quod Arianicæ opinionis essent, scripta evulgavimus? Nonne Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus de immolatione idolorum à nostris confessoribus (Potamone) accusatus fuit?* Sed & quingentis fermè annis pòst in Synodo Nicena II. quæ Septima universalis vulgò dicitur, Act. v. & VI. perlectis aliquot ejus epistolis, ad Euphrationem videlicet Constantiam Licinii uxorem, aliosq; tanquam impius, hæreticus & majori quàm cæteri odio prosequendus, rejectus est. Videantur acta Concilii istius, quanquam recentioris, & circa annum septingentesimum octogesimum octavum á Constantino Imperaore ejusq; matre, superbissima pariter ac crudelissima muliere, ad stabiliendam idololatriam & imaginum cultum coacti, sed paullò pòst in Synodo Francofurt., sub Carolo M. damnati, ac proinde nullius vel exiguæ admodùm auctoritatis.

XXV. Atque huc usque attulimus pleraque, quæ contra Eusebium ex antiquitate afferri solent, & quorum auctoritate recentiores, dum contra eundem scribunt, nituntur. Nunc eosdem & alios quoque veteris Ecclesiæ, Doctores, quin ipsos orbis terrarum principes audiamus, non minus pro Eusebio ejusque orthodoxiâ, quàm supra contra eam disputantes. Ac initio quidem quantus vir fuerit Eusebius, Theodorit. lib. I. cap. XII. &

Socrates declararunt, magis tamen utroque antiquior, & Eusebio ætate suppar Athanasius, cujus insignem locum ex lib. de Syn. Nicenæ Decretis suprà attulimus, nunc alium adhuc ei jungemus ex Epist. ad African. f. 937. *Prisci Episcopi ab hinc annis prope centum & triginta, tùm qui Romæ, tùm qui in nostra civitate Pontificatum gessere, accusaverunt eos, qui filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum consubstantialem patri: neque ejus rei ignarus erat Eusebius Episcopus Cæsariensis, qui cùm prius suffragaretur Arianicæ sectæ, postea tamen Niceni Concilij decretis subscripsit, & apud suos id ipsum propriis literis affirmavit, cujus hæc verba sunt: Novimus quosdam ex priscis eruditos & præclaros antistites, aliosq; scriptores, cum de patris & filii Deitate loquerentur, voce consubstantialitatis usos esse.* S. Basilius lib. de Spir. S. cap. XXIX. non tantùm ἀξιόπιστον διὰ πολυπειρίαν *fide dignum propter multiplicem experientiam* censuit, sed etiam tanti fecit, ut in controversiâ de Spiritus Sancti divinitate contra Arianos aut eorum progeniem, unà cum aliis præstantissimis Ecclesiæ Doctoribus Irenæo, Clemente Romano, Dionysio Alexandrino, Origene, testis loco adduceret: *Eusebius Palæstines*, inquit, *propter variam experientiam dignus est, cui fides habeatur, ex illo igitur easdem voces* (in, cum, per,) *demonstrabimus, tractatu de Polygamiâ veterum.* Sed & S. Hieronymus, etsi suprà videbatur paullò commotior & Eusebio infensior, libro tamen de Script. ecclesiast. præclarum testimonium ei tribuit: *Eusebius*, inquit, *Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, in scripturis divinis studiosissimus, & bibliothecæ divinæ cum Pamphilo martyre diligentissimus investigator.* Ubi simul libros ab eo compositos, & qui in promptu ipsi tum erant, accuratè recenset, sed hæreseos ne meminit quidem, non omissurus utique, si certum atque exploratum id ipsi fuisset. Ita enim pergit: *Edidit infinita volumina, de quibus hæc sunt:* εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως *libri viginti,* εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς *libri quindecim,* θεοφανείας *libri quinque. Ecclesiasticæ historiæ libri decem, Chronicorum Canonum omnimoda historia, & eorum* ἐπιτομὴ, *& de Evangeliorum diaphonia, in Isaiam libri decem, & contra Porphyrium, qui eo tempore scribebat in Sicilia, ut quidam putant, libri triginta, de quibus*

ad

*ad me viginti tantum pervenerunt; Τοπικῶν liber unus, ἀπολογίας pro Origine libri sex, de vita Pamphili libri tres, de Martyribus alia opuscula, & in centum quinquaginta Psalmos eruditissimi commentarij, & multa alia.* Ita alibi non semel *doctissimi* titulo eundem mactat.

XXVI. Sed audiamus quoque Socratem præclarâ prorsus apologiâ pro Eusebio depugnantem, quam Nicephorus Callistus, *auctor vanissimus, futilissimus, fabulosissimus, nec συγγραφεὺς aut historicus, sed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδός, fabularum & nugarum compilator, cui ipse Baronius, quoties animum intendit, fidem omnem abrogat*, quæ Casaub. Exercit. 1. ad annal. Baron. n. XII. verba sunt, sugillat quidem, sed ita, ut ipse græculus nihil certi pronunciare audeat, & rem omnem tandem Deo cordium scrutatori committat. Socrates igitur ab omni suspicione Arianismi hominem purgat, fretus tum epistolâ Synodicâ, quâ ὁμοούσιον approbat, tum illis verbis, quibus Christum ante omnes creaturas â patre genitum, & verum Deum, per quem omnia facta sint, asserit; denique non esse dicit verisimile Arianâ perfidia imbutum illum fuisse, qui tàm studiosus Origenis & æmulus & admirator extiterit, in cujus libris passim reperiatur, filium â patre genitum fuisse. Sed præstat ipsius potius verba audire, quæ lib. II. Histor. cap. XVII. leguntur: *Quoniam nonnulli ipsum Eusebium Pamphili, in libris quos edidit, tanquam Arij errori faventem, contumeliis vexare aggressi sunt, non incommodum arbitror, pauca de illo disserere. Primùm enim Concilio Niceno de consubstantiali decidenti & interfuit, & assensus est. In tertio verò libro, quem de vita Constantini conscripsit, ista de illo Concilio his ferè verbis ipse commemorat: Imperator omnes ad concordiam eatenus reducere contendit, quoad eos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando venissent, tum conspirantes animis, tum opinionibus consentientes reddidisset, ita ut concors fides inter eos vigeret. Quod si igitur Eusebius, dum concilii Niceni mentionem facit, omnia quæ in controversiam venerant soluta esse dicat, omnesq; in eadem sententia & opinione fuisse, quid est, cur quidam illum in Arii hæresin propendisse existiment? Quin etiam Ariani ipsi falluntur opinione, dum eum cum i-*

*psis sentire arbitrantur.* Et quæ sequuntur: neque enim omnia huc adduci possunt, imò nec debent. Addere tamen ea adhuc lubet, quæ Evagr. Scholasticus in fronte Historiæ suæ eccles. de Eusebio habet, fuisse scilicet *virum cùm in aliis rebus disertissimum, tùm in scribendo tantùm pollentem, ut possit lectores suorum librorum etsi non efficere perfectè Christianos, ita tamen persuadendo impellere, ut Christianam religionem lubentes colant.*

XXVII. Quid Constantinus M. ὀρθοδοξότατος utique, καὶ θεοφιλέστατος Imperator de eodem senserit, & quàm charus ipsi fuerit, ex quamplurimis ejus literis, tùm ad Eusebium, tùm alios perscriptis, ac libris de vitâ Constant. M. insertis, haud difficulter intelligitur, quarum excerpta quædam, cùm amoris & benevolentiæ erga Eusebium haud obscuræ testes sint, etiam hîc legi operæ pretium fuerit. Lib. III. igitur de Vita Const. M. cap. LIX. Ita ad Eusebium scribit: *Epistolam tuam legi diligentissimè, ex qua Ecclesiæ canonem exquisitè abs te servatum intellexi. In his namque persistere, quæ Deo grata, quæque traditioni apostolicæ consentanea videntur, permagnæ pietatis est. Ac sic putabo, te in hoc ipso planè beatum, quod totius (prope dixerim) orbis terrarum testimonio dignus judicatus sis, qui universæ ecclesiæ episcopatu perfungaris: & huic tuæ felicitati revera quasi accessionem adjunctam, quod omnes ea tui cupiditate ducantur, ut te velint esse apud se. Porrò abs te prudenter sanè factum est, quòd & Domini mandatum Apostolicumq; Ecclesiæ canonem servare decrevisti, episcopatum ecclesiæ Antiochenæ prorsus repudiando; & in eo episcopatu fungendo permanere laborasti, quem ab initio Dei voluntate suscepisses. Hac de re literas dedi cùm ad populum, tum ad alios ecclesiæ ministros, qui quidem de eadem etiam ipsi scripserant, ad me, suamq; sententiam declaraverant.* Quas verò ad populum Antiochenum, Theodotum item, Theodorum, Narcissum Aetium, Alpheum & cæteros ibi congregatos episcopos idem, & ejusdem prorsus argumenti, perscripsit, eodem libro cap. LVIII & LX. exhibet. Nec refert, quod Eusebius suas laudes per Constantinum ambitiosiùs ipse deprædicet, quod Baronius ubique ferè inculcat. Nam benè se habet, quòd de literis ipsis dubitare nemo possit,

possit, nisi totam ejus historiam, unà cum Socrate, apud quem itidem nonnullæ leguntur, indubium vocare & mendacii arguere velimus.

XXIIX. Ex quibus ita in utramque partem nunc disputatis liberè arbitrandum, (neque enim quicquam præscribo) & utri parti accedere velit, statuendum Lectori relinquo: Mihi sanè rationibus utrinque diligenter excussis adhibitoq; charitatis judicio, pro ratione illorum temporum plane orthodoxus videtur, & si quid durius nonnunquam adversus Eustathium, Athanasium aut alios Orthodoxos, præcipuè in conventu Tyrio, imprudenter designavit, non tàm ob fidei dissonantiam, quàm privatos affectus aut aliorum impulsu factum putarim. Interim si eum ab omni labe hæreseos absolvere, & in orthodoxorum numero, maximè post concilium Nicenum, quod mallem, collocare haud licet, neque tamen ad Arianorum castra, sed Semiarianos potiùs, aut medios inter Orthodoxos & Arianos relegandus fuerit, quòd æternitatem quidem Christi, secus ac Arius faciebat, professus, coæqualitatem tamen ejusdem cum patre seriò vix credidit, nec anathemati adversus Arium subsignavit.

XXIX. Quicquid hujus rei sit, hoc certum est, pessimos omnium, qui unquam vixerunt, & fecem hæreticorum Ario tùm prælusisse, tùm adhæsisse, quos omnes nec lubet nunc, nec opus est hoc loco adducere. Ne tamen laude sua fraudetur Arius, fatemur sanè præcipuum eum ἀρχηγὸν & coryphæum extitisse totius hujus tragœdiæ, & cùm ingenio esset haud infelici quidem, cæterùm fastuoso, turbulento, ac supra cæteros mortales ad quævis audenda prompto & expedito, fraudum præterea ac technarum admodùm fœcundo, in illud culmen ac fastigium ascendisse, quo ante ipsum nemo. Fastum ejus & ambitionem invidiamque Theodorit. lib. I. Hist. eccles. cap. II. tangit, cum egregium diaboli organon ad veteratorios ejus conatus perficiendos idoneum fuisse scribit: *Cum animadverteret* (nequam & invidus dæmon) *gentilium errorem suis integumentis evolutum, & varias ac multiplices dæmonum fraudes perspicuè deprehensas, & creaturam à quamplurimis*

*nulla amplius dignatam veneratione, sed pro illâ creatorem laude & praeconiis celebratum, idcircò deinceps non apertè contra Deum ac Servatorem nostrum bellum ciere, sed cum homines quosdam nomine quidem Christianos, re tamen ipsa ambitionis & inanis gloriae servos reperisset, his tanquam instrumentis ad suos veteratorios conatus perficiendos valdè idoneis uti cepit.* Et paullò pòst iterum: *Per idem tempus Arius, cui in numerum presbyterorum ascripto Sacrarum literarum interpretatio concredita erat, cum videret Alexandrum ad episcopatus gubernacula designatum, invidiae flammam, quâ incendebatur, minimè reprimere, sed eâ vehementius inflammatus, materiam contentionis & discordiae indies aucupari laboravit: ac tametsi in praestabilem eximiamq; Alexandri vivendi rationem aciem acriter intendendo, nihil ad falsam criminationem contra eum confingendam potuit omninò reperire, tamen aestus invidiae eum quiscere non sinit.* Habitum verò corporis, tanquam infausti alicujus monstri, vivis quasi coloribus Epiphan. haer. LXIX. depingit, unde de ingenio ejus moribusq; judicium fieri haud difficulter potest. *Erat*, inquit, *staturâ valdè longus, subtristi specie, figuratus velut dolosus serpens, qui decipere posset omne innocens cor, per versutum suum praetextum. Dimidium enim pallium hic semper indutus & stolam, dulcis erat in colloquio, persuadens semper animas ac blandiens.* Haec Epiphanius, qui & vidit Arium, quippe, ut ipse testatur haer. XXVI. adolescens in Aegypto versatus, & tantò rectiùs ingenium ac mores ejus nosse poterat, quantò aliis in dignoscendis haeresibus earumq; auctoribus perspicacior fuit. Simile quid Constantinus M. quoque memoriae prodidit in Epistolâ adversus eundem scriptâ, cujus Socrates lib. I. cap. VI. his verbis meminit: *Alias quoque epistolas imperator contra Arium, & ejus opinionis fautores, magis populari ac fusa scribendi ratione composuit: quas quidem, quo ejus amentiam salsius morderet, & lepidâ dissimulationis specie acrius pungeret, in singulis civitatibus passim divulgandas curavit.* Epiphan. quoque principium & Homeri versum ex illâ recitat haer. LXIX. *Rex Zelo ductus, epistolam magnam ad totam Romaniam contra Arium scripsit, ejusq; fidem, omni sapientia ac verbis refertam, sicut & hac hodie apud studiosos servatur,*

*hoc*

*hoc principium habens: Constantinus Augustus Maximus. Arius & Ariani, malus interpres, & ut ita dicam, imago & statua est diaboli. Deinde inter alia, & post multam contra ipsum ex scripturis divinis productam contradictionem, etiam ex Homeri versibus quendam contra ipsum invehens, miseriae gratia apposuit, quem ipsum etiam hic apponere necessarium duxi, & est hic: Age sane urge Ari, scutis opus est, ne tu hoc facias rogamus, cohibeat autem saltem te Veneris conversatio.* Integram autem Baronius Tom. III. Annal. ad ann. CCCXIX. n. 7. seqq. ex Vaticanâ bibliothecâ, ut multa alia prioribus ætatibus prorsus incognita, depromptam exhibet, quæ an genuina sit, aliorum esto judicium, nos nunc ea saltim, quæ scopum nostrum propius attingunt, ex Baronio adducemus: *Videte omnes, videte, ut lamentabiles prætendat voces, viperæ morsu læsus: videte, ut venæ ejus, ut carnes veneno occupatæ acerbos moveant cruciatus, ut corpus ejus tabe diffluxerit, ut attenuatum & squallore sordibusq; obsitum, lamentatione, pallore, horrore, infinitisq; malis conficiatur, miserèq; strigosum sit, ut deformis illuvie sordibusq; capillus, videte seminecem, obtutu jam languido, vultu exangui, mœsto, rabido, cernite, ut ad eum propter mali diuturnitatem confluxerint furor, insania, vanitas, eumq; immanem ac ferum reddiderunt, ne sentit quidem, quibus sit in malis.* A tantò tamq; portentoso corpore quid aliud, quàm factiosum, inquietum & truculentum ingenium feriq; ac barbari mores expectari poterant?

XXX. His præsidiis instructus, ac loquacitate præterea, velut firmissimo aliquo munimenro armatus, universum orbem Christianum adortus est, quem cum primo impetu prosternere & expugnare haud posset, divinâ providentiâ advigilante & manum supponente, in Alexandrum omne virus suum effudit. Equidem non deerant, qui culpam omnem in Alexandrum reijciebant, illum, cùm pietati potiùs studere, & gregi suæ invigilare debuisset, controversiam minimè necessariam movisse, & oblitum humanitate, Arium, fundamentum fidei, & cætera, quæ ad salutem habendam necessaria sunt, amplexum, â communi unitate sine caussâ præcidisse. Ita enim Constantinus Imperator, ab

 aulicis

aulicis & præcipuè Eusebio Nicomediensi, cum quo tum conversabatur, sine dubio persuasus; *Cùm una sit vobis fides, unaque de nostrâ religione sententia, unum denique legis ac disciplinæ institutum (quod quidem cum suis partibus universum ecclesiæ corpus, consentiente animorum concordiâ & proposito, devincit.*) Socrates itidem lib. I. cap. III. curiositatem & iracundiam Alexandro exprobrat; *Quodam tempore,* ait, *præsentibus presbyteris, qui sub ipso erant, reliquoque clero, curiosiùs aliquanto disseruit & subtiliùs de sancta Trinitate, unitatemque in Trinitate esse diviniciùs philosophatur.-- Quæ cum accepisset Alexander, resque gestas oculis cerneret, iracundiâ cœpit exardescere ac concilio multorum episcoporum convocato, Arium, & ejus opinionis fautores, presbyterii gradu abdicat.* Sozomenus verò & Epiphan. rem longè aliter, & ita quidem gestam narrant, ut solùm Arium ex merâ Φιλονεικίᾳ istam contentionem primùm movisse dicant, Alexandrum autem prorsus excusent. Sozomeni verba lib. I. cap. XIV. hæc sunt: *Quanquam religio Christiana in cæteris omnibus rebus florebat, tamen disputationes quædam litigiosæ, quæ simulatione scilicet pietatis & veræ Dei cognitionis eliciendæ, res ante minimè exagitatas in controversiam rursus deducebant, ecclesias vehementer perturbarunt. Harum disputationum author fuit Arius.-- Iste subtilitate disserendi cumprimis excellens (dicebatur enim ejusmodi artibus imbutus esse) ad opiniones tàm absurdas delapsus est, uti quod nunquam ante à quoquam dictum fuerat, non vereretur in Ecclesiâ palam efferre: nimirum, Filium Dei ex nihilo ortum esse,* &c. *Nonnulli occasione ex his verbis arreptâ, accusabant Alexandrum, quod has novas adversus Christianam religionem opiniones, contra quàm debuerat, pertulisset. At ille, ratus multò satius esse, ut rationes de rebus ambiguis ab utraque parte proponerentur, quo videretur adversarios non necessitate coegisse, sed persuadendo ad desistendum à contentione induxisse.* Clariùs adhuc, si quid tamen clarius dici potest, exponit Epiphan. hær. LXIX. *Fiebant hæc in Ecclesia ignorante beato Alexandro Episcopo, donec Meletius Ægypti, etiam ipse Archiepiscopus ex Thebaide revelaret. Nondum enim res Meletii ad inimicitiam devenerat. Detulit itaque ad aures archiepiscopi Alexandrini, archiepiscopus Meletius*

*tius in Ægypto, verùm subditus Alexandro. - - Ubi igitur significasset de Ario omnia, quomodo discessisset à veritate, & quod multos polluisset ac perdidisset, corruptis his à rectâ fide, qui ipsi credidissent, tunc Episcopus accersitum Arium interrogabat de perlatis ad se, an hæc ita haberent? Ille verò neque hæsitavit, neque timuit, sed ab exordio perfrictâ fronte omnem suam malam opinionem evomuit.* Re itaque passim invulgatâ, & periculo ecclesiæ ingravescente rectè Alexander, qui Ecclesiæ tum præerat, Ario se opposuit.

XXXI. Constantinus verò eximiâ pietate & virtute princeps, ac de ecclesiæ tranquillitate valdè solicitus, magnam diligentiam adhibuit, ut eos ad concordiam redigeret, motus illos maturè compescendos ratus, antequam res in nervum erumperet: Quare *εἰρηνικὰς* per Hosium Cordubensem ad Alexandrum & Arium, quæ apud Euseb. lib. II. de Vita Constant. M. cap. LXIII. seqq. leguntur, misit, ac primò quidem Alexandrum seorsim compellans, quod de re nec utili, nec necessariâ, quin nec magni adeò momenti contenderet; ac in tolerando Ario, & ad communionem admittendo, difficilior esset, *Mihi*, inquit, *de principio & caussâ istarum accuratè cogitanti, valdè exilis & neutiquam tanta contentione digna visa est.* Et iterum: *Inde præsentis controversiæ fundamentum intelligo jactum esse, quòd tu Alexander à presbyteris de loco quodam in sacris literis scripto quærebas, imò verò de inani quadam quæstionis particula sciscitabaris, quid quisque illorum sentiret.* Deinde verò ad Arium conversus, ipsum increpat, quòd necessariis adminiculis non satis instructus rem viribus suis majorem aggressus fuerit; & ea, quæ non satis intelligat, temerè effutierit: neque enim mysteria omnia & quæstiones circa ea exortas à quovis ita expediri posse, ne quid in responso desideretur, nec omnes eâ ingenii dexteritate esse, ut quæ intelligunt, verbis aptis & convenientibus explicare queant, nec alios, quæ rectè dicuntur, sine hallucinatione capere posse: *Tu Arie*, pergit, *istud, quod neque initio animo complecti, aut cum fuisses complexus, silentio præteriisse debebas, inconsideratè effutivisti. - - - Tales enim quæstiones, quales nulla lex canonq; ecclesiasticus* (nulla formula aut confessio) *necessariò præscribit,*

*ſcribit, ſed in anis diſſoluti otii certatio proponit, licet ad ingenii acumen exercendum inſtituantur, tamen interiore mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos populi conventus temerè efferre, neque vulgi auribus inconſultò concredere. Quotus enim quiſque eſt, qui rerum tàm gravium tantaq; obſcuritate involutarum vim vel ſatis accuratè videre, vel pro dignitate explicare valeat? Quod ſi quiſquam ſit, qui iſtud ſe facilè efficere & conſequi poſſe confidat, quota 'quæſo eſt illa multitudinis pars, quam poſſit efficere, ut idem ipſum intelligat? Aut quis tandem eſt, qui in curioſa quæſtionum ejuſmodi pervestigatione extra prolapſionis periculum poſſit conſiſtere? Quocirca in talibus rebus loquacitas coercenda eſt.* Tandem verò controverſiam illam quocunque modo finire cupiens ſilentium ſuadet, precibus quoque & lachrymis, ut ad mutuam concordiam reverterentur, contendens: *Date mihi dies tranquillos & noctes curæ ac moleſtiarum expertes, ut voluptas, quæ tum ex ſincerâ concordiæ luce, tum ex vita quieta capi ſolet, mihi integra impoſterùm conſervetur. Quod quidem ſi minus contingat, neceſſe eſt ingemiſcere, lachrymis & mœrore omninò confici: nec fieri poteſt, ut vitæ curſum de reliquo tranquillè & ſedatè tranſigam.*

XXXII. Arius autem nec tacere voluit, nec rectè loqui didicerat, & interim contentiones libero curſu evagabantur. Quare Imperator cùm nec hac ratione, nec libris & diſputationibus, quas Doctores paſſim tùm vulgabant, eccleſiæ vulneribus medicinam fieri, aut animorum diſcordiam ſopiri, ſed potiùs exaſperari animadverteret, tandem in Concilio Univerſali, convocatis ex toto orbe doctisſimis hominibus, controverſiam terminavit. O præclarum & tanto rege dignum, quin omnium ſeculorum memoriâ celebrandum inſtitutum! O ſanctam & verè pacificam Synodum! quæ quò magis inveteraſcet, eò magis indies, eoq; perennius efloreſcet. Deus bone, qui delectus Epiſcoporum, qui flos Doctorum & Confeſſorum, quæ ſanctitas, quæ lachrymæ, preces & jejunia auguſtum illud ſacrarium impleverunt? O impiam contra, & bonis omnibus meritò execrandam caninam rabiem Sabini Macedoniani, qui tot egregios & de Ec-

clesiâ Christi præclarè meritos viros, tanquam indoctos & rudes passim traducebat. *Nam iste Sabinus Macedonianorum, qui Heracleam civitatem Thraciæ incolunt, episcopus, dum ea, quæ varia episcoporum concilia scriptis ediderant, in unum volumen colligit, episcopos, qui Nicææ in unum convenerant, velut indoctos & ignaros rerum omnium probris afficiebat*, ut Socrat. lib. 1. cap. v. testatur. Quo convitio plerumque homines improbi, stulti, & garrulitate tantùm armati incessere solent eos, quorum similitudinem desperant, veteri quidem, sed pudendo Diaboli, ex quo didicerunt, artificio. Sed nec Arianos ejusdem ignaros fuisse, Alexander in Epistolâ ad cognominem sibi Episcopum Constantinopolitan. eundemq; gentilem suum refert apud Theodorit. lib. 1. Hist. cap. iv. *Hi* (Ariani) *neminem volunt ex antiquis patribus sibi comparari, neque illis, quibus nos ab ineunte ætate usi sumus præceptoribus, se pares existimari sinunt, imò verò ne unum quidem collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censent; sed se solos sapientes, solos egestatem voluntariam sectantes, solos dogmatum inventores, & sibi solis ea doctrinæ patefacta esse mysteria, quæ in nullius unquam sub sole cogitationem ac mentem venerint, arbitrantur. O impiam arrogantiam, ô insaniam immensam, ô inanem gloriam cum furore conjunctam, ô spiritus planè Satanicos, qui impiis eorum animis velut callum malitiæ obduxere.*

xxxiii. Utinam verò hodie quoque Constantini, Ecclesiæ nutritii & patroni, existerent, quibus doctrinæ sinceritas & Ecclesiæ tranquillitas curæ cordique esset! Utinam illi, quorum apud nos, Dei beneficio, plures sunt, sedulò advigilarent, ne Arius vel huic similis impostor aliquis ex nobis exsurgat, qui turbatâ, aut ruptâ Ecclesiæ pace, unitatem, quæ sancta meritò omnibus esse debet, scinderet, & eos qui ruperunt modis mediisq; legitimis quamprimùm compescerent! Utinam tandem omnes alii inter se dissidentes in gratiam & concordiam mutuam redirent, & positâ omni contentione & irâ, sicut olim, fieret cor unum, & anima una! γένοιτο, γένοιτο!

CAP. II.

# DE DOGMATIBUS ARIANORUM.

XXXIV. Atque hæc ipsissima quasi Arianismi incunabula sunt, inde usque á primâ ejus origine ad Concilium Nicenum deducta, nunc tempus est, ut ad Arii gregaliumq; ejus dogmata ac impietatem considerandam nos accingamus. Sed unde ea quàm rectissimè & tutissimè depromi possit, ante omnia exponendum est.

XXXV. Equidem scripta multa Arius pro hæresi suâ stabiliendâ edidit, & inter ea librum unum, non immanibus tantùm nugis, sed execrabili insuper impietate & blasphemiis contra Christum & fidem orthodoxam refertum, quem titulo novæ sapientiæ complices haud abs re cohonestarunt, *novam enim hæresin annunciant*, ut Athanas. loquitur orat. II. contra Arrian. quo in loco inscriptionem ejus non minùs ridiculam, quàm turpem & ominosam perstringit; nam tale nomen ipsi indidisse ait, quale à nullo unquam antiquissimorum patrum, ac ne ethnicis, qui frugi essent & temperantes, usurpatum reperiatur. *Non sine admiratione est*, inquit, *nusquam in multis multorum operibus & sermonibus, tum in vetus, tùm in novum Testamentum conscriptis, inter titulos librorum* Θαλείας, *hoc est, crapularum nomen reperiri: imò ne apud Ethnicos quidem frugi & temperantes, sed apud istos duntaxat, qui ejusmodi res inter pocula ad risum captandum inter plausum, jocum, lasciviamq; decantant.* In scribendo prætereà Sotadæ cujusdam obsceni ac turpissimi poëtæ cantiones imitatus effeminatis ridiculisq; numeris usus est. Fuit autem *Sotades Cretensis Maronita à dæmonio vexatus, jambographus scripsit Phlyacas, sive cinædos linguâ Jonicâ*, ut Suidas refert. De illo igitur Sotadeo libro ita pergit Athanasius: *Eximius ille Arius cùm nihil aut sanctum, aut grave imitandum desumeret, securus negligensq; istiusmodi probitatis, depeculatis aliorum hæresibus, æmulum se in ridiculis uni Sotadæ præbuit. Quid enim aliud congruum illi, qui Christo Salvatori choreis suis insultare*

*voluit*

*voluit, quàm ut miseras distinctiunculas impietatis suæ metris dissolutioribus & elumbatioribus insonaret? ut quemadmodum Sapientia loquitur, Ex eloquio verborum cognoscitur vir, ita quoque ex illis Sotadicis numeris, animi ejus effeminatio & mentis putrilago deprehendatur.* Et paullò pòst exordium ex illâ Thaliâ, sed metricis numeris non translatum, recitat: *Tale exordium crapularum Arij & vaniloquentiæ, moribus numerisq; effeminatum invenias: Ex electis Dei secundum fidem peritis Dei, pueris sanctis, rectigradis, qui sanctum Dei spiritum acceperant, ista didici ego ex sapientiæ consortibus, ab hominibus Dei discipulis, per omnia sapientibus: horum per vestigia cum eadem dogmatum opinione incessi, ego ille percelebris multa passus propter meam de Deo existimationem: à Deo autem sapientiam condidici & cognitionem cognovi.*

XXXVI. Thaliâ itaque Arij hoc modo comparatâ quid mirum, si non tantùm à Synodo, verumetiam Imperatore ipso unà cum auctore ad ignem rogumq; damnata, & ne quis eam deinceps apud se retineret, peculiari principis edicto cautum fuit? Quod utrumq; Sozomenus testatur lib. I. Hist. cap. XX Cum enim de Concilij sententiâ hæc dixisset: *Concilium tum Arium, tum suæ opinionis fautores pariter abdicavit, decrevitq; ne veniret Alexandriam. Quin etiam & verba, quibus ejus explicabatur opinio, & librum, quem de eadem ediderat, inscripseratq; Thaliam, legi veluit: cujus libri stylus, uti audivi (nunquam enim illum legere contigit) ita dissolutus est, ut præ mollitiâ, quâ diffluit, Sotadeis cantibus similis videatur*: mox idem de Imperatore addit: *At Imperator non solùm Arium mulctavit exilio, verumetiam episcopis omnibus & populis edictum scriptum misit, ut tum illum, tum ejus opinionis fautores, impiorum numero ducerent, & si qui liber reperiretur ab illis scriptus in ignem conijcerent: quo neque ipsius, neque opiniones cujus author fuerat, ullum monimentum exstaret. Quod si quis aliquem librum ejus occultare deprehenderetur, ac non illicò in publicum productum incenderet, ut capitis mulctaretur supplicio.* Eadem hæc & iisdem ferè verbis Socrates recenset, ac lib. I. cap. VI. Constantini

Conciliique de Ario, ejusque scriptis sanctionem recitat, ubi videatur.

XXXVII. Atque hoc modo tum hæresis nonnihil repressa, tùm libri unà cum infelici auctore extincti sunt. Et Arius quidem dignum vitâ & doctrinâ suâ exitum meritò reperit, cum velut alter Judas proditor, rupto ventre, medius crepuit. Bonum verò factum, si hæresis quoque sub tartara, unde proruperat, planè rediisset, & libri ac delira dogmata ex animis ac memoria hominum ita deleta fuissent, ut nec vola nec vestigium absurdorum & abominabilium errorum compareret amplius: Sed supersunt tamen singulari Dei judicio fragmenta, quæ Catholici Doctores suis scriptis inserta conservarunt, ut omni posteritati illustre hæreticæ absurditatis præberent testimonium. Inde igitur, & præcipuè illorum scriptis, qui peculiariter hoc argumentum tractarunt & illis temporibus vicini fuerunt, depromere oportet, non solùm quid Arius cum suis de Deo, rebusque divinis docuerit, sed id prætereà, quibus tibicinibus sententiam suam fulciverit, & quibus argumentis rursus eadem à Catholicis Doctoribus impugnata, & ad barbaras & incultas gentes relegata sit.

XXXIIX. Cæterùm plura sunt fidei ac doctrinæ Christianæ capita, prout ea à Christo & Apostolis in scripturis sacris proposita, & posteà à vetustissimis Ecclesiæ Doctoribus aliisque inde ab initio unanimi voce inculcata & credita fuerunt, quæ ille petulanti quodam ausu arietavit, quin imo vix unum eorum est, quod impiis & blasphemis commentis suis non interpolarit, de Deo & SS. Trinitate, de attributis divinis, Persona Patris, & Spiritus Sancti, de Filii Dei æternâ generatione, ejusdemque in tempore factâ Incarnatione, de creatione hujus universi, adoratione solius veri Dei, Sacramentis & multis aliis fidei articulis, de quibus omnibus prolixè agendi nunc locus non est, interim breviter attingere placet, ut quæ ac qualis Theologia ipsius fuerit, quæ item cæterorum omnium sit, qui aut olim paria docuerunt,

aut adhuc hodie sive apertè sive clanculum ei favent, intelligatur.

XXXIX. Et primò quidem, etsi Arius cum suis in Ecclesiâ viverent, & Christianos se, qui unum verum Deum credunt, nominetenus profiterentur, tales tamen non erant, sed ethnicis & atheis similes, verum Deum aut ignorabant, aut repudiabant. *Qui enim negat Filium, nec Patrem habet*, I. Joh. II. 23. Et iterum: *Qui recedit & non permanet in doctrinâ Christi, Deum non habet. Qui* verò *permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet*, II. Joh. v. 9. 10. Et de Spiritu Sancto: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Rom. IIX. 10. Tanta igitur, tamq; necessaria personarum divinarum connexio est, ut una absque alterâ nec cognosci rectè, nec credi aut invocari possit, & quisquis unam earum negat, is cæteras omnes quoque repudiare & nullum Deum credere cum ethnicis & infidelibus, meritò censeatur. Ita enim Athanas. contra Arianos argumentatur, cum Orat. II. *Fucatus*, inquit, *& Sotadicus Arius simulat se quidem de Deo loqui; cum interponat verba Sacrarum literarum, deprehenditur tamen undecunque atheus; dum Filium negat, & illum rebus conditis annumerat.* Et orat. III. *Judæi unà cum Arianis filium abnegantes, ne patrem quidem habent. Obturantes enim fontem Sapientiæ, (ut illis exprobrat Baruch) abjecerunt etiam à se Sapientiam inde promanantem Dominum nostrum Jesum Christum.* Et paullò pòst ob eandem caussam Arianos Ethnicis, Manichæis & plerisque aliis hæreticis improbiores dicit, cum eodem loco ita pergit: *Ethnici, quanquam Deum in ore habent, impietatis crimini subjiciuntur, eò quòd verum Deum non agnoscant patrem Domini nostri Jesu Christi. Itidem quoque Manichæi & Phryges, ac discipuli Samosatensis, nomina ipsa pronunciantes, nihil ob id sunt minus hæretici: ita quoque deinceps & reliqui, & qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturq; ipsa nomina, frustrantur illuduntque ijs, qui ab ipsis baptisma accipiunt, homines nimirum improbiores, quàm ulli hæretici, quos indies magis ac magis superant, hæresesque omnes propemodum justas oris sui effrenitate*

 reddunt.

*reddunt. Illa enim supra veritatem aliquid admetiuntur, — isti verò non ita, sed manifestò in patrem scelesti sunt, cujus divinitatem in filij imagine contestatam blasphemant.* Sed & Gregorius Theologus Orat. xxxviii. in Christi Nativ. Judæis ac Diabolis deteriores pronunciat, quòd nec ea admittere velint, quæ Diaboli credunt, etsi contremiscant. *Ita Judæus ingratitudine, & dæmones incredulitate superas* (Ariane.) *Illi enim Filii nomen æqualitatis vocem esse censebant, hi autem eum, à quo fugabantur, Deum norant, Fidem enim illis ea, quæ patiebantur, faciebant. At tu nec æqualitatem admittis, nec divinitatem confiteris. Proinde satiùs tibi fuerit circumcisum esse, atque à dæmone vexari, ut facetè aliquid dicam quàm in præputio & incolumi valetudine tàm sceleratè atque impiè sentire.*

xl. Deinde, cum Christum verum, & ejusdem cum patre essentiæ Deum negant, hoc est, creaturam tantùm faciunt & interim tamen religioso cultu afficiunt, denuò ad ethnicos delabuntur, & idololatriã committunt, tribuendo creaturæ quod soli Deo competit. Id rursus Sancti patres agnoscũt, cum contra Arianos disputant. Gregor. Nyssenus lib. de Fide ad Simplicium: *Quid faciunt, qui dicunt eum creaturam esse, adorant ne creaturam illam, an non? Quod si non adorant, Judæis astipulantur; sin adorant, idololatriam committunt.* Et præclarè Cyrillus lib. 11. thesauri cap. 1. *Dominum*, ait *ô Eunomi, divina scriptura filium appellat, & verè Dominum. Utrum igitur contra scripturas tu, & Spiritum Sanctum à quo editæ sunt, verè atque naturá ipsum Dominum negabis? An concedes, autoritatem scripturarum formidans? Sed si primum, in idololatriam incides, cum Dominum verè non fatearis, adoresq; illum, quem Deo patri consubstantialem esse non credas, sed potiùs creaturam. Quicquid enim vero Deo consubstantiale non est, id natura Deus esse non potest.* Et paullò pòst: *Nemo ignorat, nulli prorsus naturæ, præterquam Dei, adorationem à Scripturá contribui.* Athanasius quoque orat. 1. contra Arian. *Isti cum Christum esse creaturam pronunciant, & illi, quanquam creaturæ, religionis cultu ceremoniisq; inser-*

*inserviunt, quid quæso ab Ethnicis differunt?* Quanquam autem Christum quoque interdum Deum dici,& eo pacto sine idololatriâ invocari posse concedant,id tamen ideò non fit,quòd unum, verùm & essentialem cùm Patre Deum statuant, aut æqualem cultum utrique,& propter eandem causam tribuant, sed ut in classem minorum,& veluti partiariorum Deorum, qui cultum illum ex dono & gratiâ à vero Deo consecuti sunt, conjiciant. *Quamvis Deus nominetur, non tamen verum Deum existere, sed participatu gratiæ talem fieri, ut reliquos omnes, sic & ipsum titulotenus Deum vocari,* ait Arius in Thaliâ apud Athanas. Orat. II.

XLI. Gentiles *iis creaturæ potiùs, quàm creatori serviebant,& his qui non sunt Dij,ut primum Deitatis locum attribuerent uni alicui & summo fabricatori hujus universitatis Deo,* ait Irenæus lib.II. cap.IX. Eadem exceptione Ariani quoque utebantur, & cum Filium adorarent,supra eum alium supremum locabant. Quod si verò gradus in divinitate comminisci,& creaturam, non quidem ut Deum summum,sed ut summo proximum divino cultu afficere licet,ideò quia Deus vocari possit,etsi reverà talis non sit, nec idololatria tamen committitur, nihil certè obstat, quò minus quis Solem,lunam,cæterasque stellas,imò ligna & lapides, non quidem ut summos,sed tantum minutos quosdam Deos,& quòd tales appellari possint,sine idololatria adoratos olim ab Ethnicis,& adhuc coli rectè & adorari posse dicat. Verum enim verò idololatræ sunt,ethnicis similes, *qui serviunt ijs, qui naturâ non sunt Dij,* Gal.IV.8.

XLII. Tandem si religiosè invocant,quem præsentem non vident,omniaque cùm animi tùm corporis bona, sive ad hanc sive ad alteram vitam pertinentia,ubique terrarum ab eo petunt, & quidem hac fini,ut ipse ea det,& mala averruncet,utique Deum ipsum faciunt,qui solus & præstare ea,& preces illas exaudire potest. Nemo enim invocat, quem preces suas nullatenus audire novit,nec ab eo quicquam petit,qui auxilio esse & promptè juvare non possit,quorum alterum impotentiæ, alterum ignoran-

gnorantiæ est, neutrum verò Deo competit: sed omniscium & omnipotentem atque adeò verum Deum esse oportet, quem tali cultu afficimus. *Quòd si de Filio hæc dicta contendant,* ait Cyrillus lib. I I X. thesauri cap. II. *necesse est, nolint velintve, confiteantur, non esse possibile, ejusdem esse naturæ cum creaturis illum, qui ad salutem sanctorum virorum ab ipsis invocatur, tanquam refugium omnium atque protectio, hæc enim soli Deo conveniunt.* Et Fulgentius de fide Orthod. ad Donat. *Si creatura esset* (Filius Dei) *serviendum ei Sanctarum Scripturarum authoritas non juberet, sed potius probiberet: in primo enim Decalogi mandato sicut unius Dei cultura servitusq; manifestissimè præcipitur, ita omnis creaturæ adoratio ac servitus à fidelibus exhibenda vehementissimè prohibetur.* Ariani igitur dum Christum religioso cultu afficiunt, eundem quoque Deum, quamvis à patre diversum, manifestò faciunt, & πολυθεότητα gentilium, seu plures Deos inducunt. Is enim paganismus propriè est, cum uni illi creatori, qui solus naturâ Deus est, Deus alius associatur, & cum eo simul colitur. Unde rectè Basilius M. Hom. contra Sabell. & Arian. *Illi* (Ariani) *cum unigenitum opus ac facturam Dei esse dicunt, & illum nihilominus adorant, divinoq; honore afficiunt, aperte Gentilismum, creaturæ servientes, & non Deo, introducunt.* Audiamus quoque denuò S. Athanasium, quèm ideò tàm frequenter adduco, quod Arium hæresiarcham viderit & audiverit, & omnium optimè tùm Ipsius, tùm asseclarum mentem perspexerit, tàm strenuè insuper pro divinitate Christi contra eum depugnarit, ut multis aliis palmam præripiat. Locus extat prorsus egregius Orat. IV. contra Arian. quem integrum proinde ascribemus. *Atque ita,* inquit, *unum in Trinitate confitemur Deum, multoq; pientiùs loquimur, quàm si hæreticorum multiformem multifariamq; Deitatem reciperemus, eò quòd unam simplicemq; in Trinitate divinitatem sentiamus. Nam, si tale verbum non est, sed ex non ente, ens evasit, creaturaq; facta est, & opus quoddam existat, relinquitur, ut vel non sit verus Deus, cùm sit ex numero creaturarum, aut si pudore confusioneq; fracti à Sacris Scripturis, Deum illum*

*illum verum esse confiteantur, necessariò fit, ut duo simul numina agnoscant, alterum creatorem, alterum creatum: duobusq; Dominis inserviant, alteri ingenito, alteri genito & creato, & ut duas fides habeant, unam in verum Deum, alteram in condititium & fictum ab ipsis, quem ipsi Deum vocant. Necessum est quoque eos ita obcæcatos, cum adorant increatum, depugnare cum creato: & cum addunt se creaturæ adversari creatorem. Non enim fieri potest, ob eam, quæ in ipsis est, naturarum diversitatem, & dissimiles in agendo vires, ut hunc in illo, aut illum in hoc agnoscas, & videas. Quapropter cùm Ariani ejusmodi sententiæ sint, vitari omninò non potest, quin plura numina consocient: id enim facinus eorum, qui ab uno Deo desciscunt. Cur igitur Ariani, cùm hoc in sensu sint, sese non adnumerant gentilibus? siquidem ambo, omisso omnium creatore Deo, creaturæ inserviant. Sed illi, ad circumveniendos simpliciores, vocabulum Ethnicorum subterfugiunt, similem tamen cum illis sententiam fovent. -- jam si Ethnici uni increato inserviunt & multis creatis: isti autem (*Ariani*) uni increato & alteri creato, ne ita quidem quicquam discriminis inter ipsos & ethnicos fuerit, cum is, qui ab ipsis creatus censetur, unus sit ex multitudine gentilium Deorum, & vicissim gentiles Dij eandem cum isto unico naturam possideant, itidemque sint creaturæ.* Ecquid restat igitur, nisi ut Arius cum gregalibus ad paganos rursus commeent, quorum diliria scientes ac prudentes amplectuntur, & non tantùm homines, eosque sæpè pessimos & flagitiosos, verum etiam bruta animantia, quin res inanimes, imò corporis morbos & animi vitia pro Dijs habeant & colant, atque adeò totam fidem ac religionem Christianam, quanta quanta ea est, funditùs evertant?

XLIII. Cæterùm summum ac primigenium Arij dogma, unde reliqua omnia profluxerunt, id erat, quòd Deum nec semper patrem fuisse, nec filium ejusdem essentiæ, gloriæ ac majestatis semper habuisse statueret, sed tùm demum cepisse existere talem, cum filium ex nihilo, hoc est, ut illi loquuntur, ἐξ οὐκ ὄντων *ex non extantibus* crearet. Unde eum quoque ποίημα καὶ κτίσμα, seu creaturam & opus vocabat; ad hoc productum à patre, ut eo



ad

ad reliqua omnia fabricanda, tanquam ministro & instrumento aliquo uteretur. Ita enim Arius ipse loquitur in Thalia apud Athan. Orat. II. adv. Arian. *Non semper Deus erat Pater, sed fuit, quando Deus solum erat, & Pater nondum erat. Posterius autem factus est Pater: non semper fuit Filius: ipsumq; Dei verbum ex nihilo factum est. Cum enim omnia ex entibus extiterint, & in universum nihil sint, nisi creatura & opera, restat igitur ipsum quoque Dei verbum ex non entibus factum esse: & fuit, quando non erat: neque erat antequam fieret, sed exordium, ut crearetur, etiam ipsum habuit.* Et rursus in Epistolâ ad Euseb. Nicomediens. apud Epiphan. lib. LXIX. & Theodorit. lib. I. Hist. cap. V. *Maximè nos infestat ac persequitur, & omne malum contra nos movet episcopus* (Alexander,) *quoniam non consentimus ipsi publicè dicenti: Semper Deus, semper filius, simul pater, simul filius, coexistit filius ingenito cum Deo, semper genitus, ingenito genitus, neque cogitatione, neq; momento quodam praeminet Deus filio: semper Deus, semper filius, ex ipso Deo filius. -- Nos autem quid dicimus ac sentimus, & docuimus ac docemus? Quod Filius non est ingenitus, neque pars ingeniti, juxta ullum aliquem modum, neque ex subjecto quodam, sed quod voluntate & consilio substitit ante tempora & ante secula, plenus Deus unigenitus, inalterabilis, & priusquam genitus est aut creatus, aut decretus aut fundatus, non erat, ingenitus enim non erat. Persecutionem autem patimur, quod diximus, Principium habet Filius, Deus vero sine principio est: propter hoc fugamur, & quod diximus, ex nihilo est.* Ita ipse Arius. Alexander verò Episcopus Alexandrinus, in Epist. encyclicâ ad totius orbis Episcopos apud Socrat. lib. I. cap. III. sic sententiam Arianorum exponit. *Quaenam verò isti contra Scripturas excogitarint temereque effutiverint, sic accipitote: Deum non semper patrem fuisse: sed tempus aliquando extitisse, cum Deus non esset pater: non ab aeterno Dei verbum fuisse, sed ex nihilo ortum esse. Nam Deum, qui est, eum cum non esset ex eo quod non est, procreasse: & propterea tempus fuisse aliquando, cùm non esset. Creatum enim & factum esse filium: neque essentia patri similem, neque natura verum patris sermonem, neque verum*

*ram ejus sapientiam esse, sed per abusionem verbum & sapientiam dici. Ipsum factum esse proprio Dei verbo, & sapientia, quæ in Deo est, per quam cum cætera omnia, tum illum ipsum fecit Deus. Et ob eam caussam natura sua posse converti & mutari, sicut & cætera omnia ratione utentia. Verbum esse peregrinum, alienum & sejunctum à sapientia Dei. Patrem à filio minimè explicari posse, nam filium neque patrem plenè & accuratè cognoscere, neque exquisitè cernere posse. Etenim suam ipsius essentiam, ut est, filium non percipere, quippe filium nostra caussa factum esse, ut Deus per ipsum, tanquam per instrumentum nos crearet neque extitisse aliquando, nisi Deus nos creare in animum induxisset.* S. Augustinus hæresi XLIX. ad Quodvultdeum nonnulla adhuc addit: *Ariani*, inquiens, *ab Ario, in eo sunt notissimi errore, quo Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum nolunt esse unius & ejusdem naturæ, quæ οὐσία Græcè appellatur: sed esse Filium creaturam: Spiritum verò Sanctum creaturam creaturæ: hoc est, ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem, quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minùs noti sunt. Nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibusdam scriptis & collocutionibus certissimè comperi. Rebaptizari quoque ab his Catholicos novimus, utrum & non Catholicos, nescio.* Philastrius Brixiensis hær. LXVI. Filium Dei Deo similem, & quidem nominetenus, nec ex Dei patris divina substantiâ genitum dixisse refert. Eodem modo cæteri, qui antiquas hæreses aut recensent, aut confutant, Athanasius, Basilius, Gregor. Nazianzenus, Hilarius, Epiphan. Augustin. Hieron. Cyrillus Alexandrinus, aliiq; tum Arij tùm complicum ejus sententiam explicant.

XLIV. Ex quibus omnibus, quæ fides, seu potiùs perfidia impurissimi nebulonis fuerit, abundè patet. Cæterùm cum ea nunc accuratè considerare, & sophismata, quæ afferre solebat, dissolvere non liceat, breviter saltem indicabimus. Et *primò* quidem totum mysterium SS. Trinitatis, prout illud in Scripturis Sacris patefactum & posteà à Catholica Christi Ecclesiâ ac omni-

mnibus ubique fidelibus unanimiter & constanter creditum est, funditùs evertit. Cum enim Ecclesia perpetuò crediderit, unum esse verum Deum, unamque numero & simplicissimam ejus essentiam, & nihilominus in ea tres personas ab æterno subsistere, quibus ex æquo essentia illa communis sit, ita tamen, ut omnes tres personæ divinitatis sint unus ille verus Deus; Ille contra tres personas naturâ invicem disjunctas, quin prorsus peregrinas ac dissimiles asserebat, ex quibus solus pater ab æterno fuerit, non tamen ut pater, nec qui filium sibi coæternum habuerit, sed ut Deus, quique posteà Filium ex nihilo condiderit, & per filium Spiritum Sanctum, cæterasque omnes creaturas. *Deinde* Christum verum Deum & Dei filium ab æterno ex patris substantiâ genitum, adeoque patri suo consubstantialem esse negabat: nihil enim habere proprium Dei, sed esse filium tantùm adoptivum quemadmodùm Angeli & homines, & uno verbo, creaturam, quamvis reliquis præstantiorem, *creaturam, sed non velut unam ex creaturis, facturam, sed non velut unam ex facturis sive genituris*, ut ipse loquebatur. Eundem quoque Patris servum & ministrum fuisse in creatione, mutabilem & passionibus obnoxium, denique nec patrem nec semetipsum perfectè cognoscere. Sed nec *tertiò* de Incarnatione rectè sentire poterant, qui personam Filii Dei ita blasphemabant: Unde corpus tantùm, non animam, assumpsisse, & carnem ejus rem nihili contemptibilemque statuebant, in quam verbum descenderit ut sanctificaret, seque in ea ostenderet, sicut pluribus aliis hominibus factum est; Quam sententiam refutat Augustin. variis argumentis lib. contra serm. Arianor. cap. IX. seq. *Quartò* iidem Spiritum Sanctum creaturam, ut Filium, & ab eodem productum asserebant, *Filij opus, divinitatis, creandique facultatis expers*, ut perfidus Eunomius dicebat apud Basilium lib. III. *Tandem* Baptismum quoque eos depravasse Athanasius auctor est Orat. III. contra Arian. quòd, etsi legitimam verborum formulam adhibeant, disparem tamen & à catholica regula abhorrentem sententiam vocabulis affingerent: *Non enim*

*hilm in patre & filio tribuunt Baptisma Ariani,* inquit, *sed in creatore & creatura, in factore & factum. Sicuti igitur creatura diversum quiddam â vero Baptismate est, quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen patris & filii, quia illa in Scripturis vident, simulent sese nominare.* Iidem tamen progrediente tempore etiam formulam ipsam depravarunt: *Nam non in Trinitatem, sed in Christi mortem baptizant,* ut Socrat. l. v. cap. XXII. testatur. *Rebaptizari quoque ab his catholicos novimus, utrum & non Catholicos, nescio,* Augustini verba sunt hæresi XLIX. ad Quodvultdeum.

XLV. Atque hi præcipui errores sunt, quos Arius cum complicibus primi mundo invexerunt, aut ab aliis invectos blasphemis suis assertionibus non parum interpolarunt & auxerunt, inter quos facilè eminet ille, quòd filium Dei nec Deum, nec patri ὁμοούσιον seu consubstantialem, sed vel ὁμοιούσιον & similem, vel prorsus creaturam appellabant, alioquin si verus & naturalis Deus credatur, & unitatem Dei tolli, nec Christum verum hominem esse.

XLVI. De progressu & incremento ejus, & quomodo paulatim interciderit, sed denuò avorum memoria à Nearianis, Michaele Serveto & Valentino Gentili aliisq; in Polonia, Transylvania & Lithuania resuscitatus sit, ubi adhuc durat, nihil attinet nunc multa dicere; fiet enim id aliàs: Saltem argumenta, quibus errorem suum propugnabant, recensebimus, ut pateat, quam nihil novi recentiores afferant, quibus blasphemiam suam tueantur, sed eadem vel certè similia tela, & ex eadem quoque pharetrâ deprompta, utrobique reperiri. Unde qui illis satisfecerit, utrisque respondisse rectè censebitur. Tribus autem potissimùm argumentorum generibus utebantur, sicut hæc S. Gregorius Nazianzenus duabus Orationibus de Filio Dei, Epiphan. hær. LXIX. Hilar. libris XII. de Trinitate, Basilius lib. V. contra Eunon. & Orat. contra Sabellian. & Arium, Augustinus lib. contra Maximin. Arianorum Episcop. & Serm. contra Arianos,

Cyrillus in thesauro aliique recensent. Primo Scripturæ dictis. Deinde Rationibus. Tandem nonnullorum patrum minùs cautè interdum probatis sententiis. Primò igitur ea Scripturæ loca afferebant, in quibus à patre creatus, ut illi interpretabantur, Christus & Dominus factus dicitur Prov. IIX.22. Act. II.39. Hebr.III.I. Unde Filium creaturam esse colligebant Deinde ex Joh.XVII.3.I.Cor.XI.3 in quibus pater Deus & Christi Deus, sicut caput mulieris est vir, appellatur concludebant, Christum non esse Deum, item non esse patre ὁμοούσιον, sed minorem, ut etiam dicitur Joh.XIV.28. & subjectum I.Cor.XV.28. unde & ipsi supplicet, ac pro nobis apud eundem intercedat, Hebr.VII.25. Rom.VIII.38. Denique ut multa alia nunc prætermittam, omnipotentiam ac omniscientiam eidem derogabant, freti illis cumprimis dictis, quibus Christus nihil posse facere à semetipso, sed prout pater eum docet, Joh.V.19.cap.IIX.28. item diem extremi judicij ignorasse dicitur Matt.XXIV.36. Marc.XIII.32. Ad quæ omnia quid respondendum sit, aut responsum olim fuerit, in ipso conflictu ostendemus.

XLVII. Deinde post Scripturæ testimonia rationes undecunque corrasas, sed magnam partem ineptas de naturâ generationis, filiationis, æternitatis & similibus rebus afferebant, quibus Catholicum dogma evertere conabantur. Eas verò collegit Epiphan. & Nazianzenus locis supra adductis, nonnullas etiam Augustinus lib III. contra Maximin. cap. XIV. & Cyrillus in thesauro, quas etiam confutarunt & plerumque quidem tàm accuratè, ut post tot tantosque doctores plura verba facere velle, sit verò, tanquam prælio jam depugnato aciem instruere.

XLVIII. Tandem verò etsi plerosque alios tùm prædecessores suos, tùm æquales superbè prorsus præ se contemnerent, ut Alexander conqueritur: *neminem volunt ex antiquis patribus sibi comparari, neque iis, quibus nos ab ineunte ætate usi sumus præceptoribus se pares existimari sinunt, imò verò ne unum quidem collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censent*, ad eos tamen